



TRACTATUS

IN FORENSI ACTIONE
vtilis, de excusandis paren-
tibus à publicis muneribus
obnumerum liberorum.

*D. Ferdinando Paez
Olisiponensi authore.*

Olisipone.
Ex officina Ioannis Blauij
Typographi Regij.
Anno à Christo
nato.

1559.

TRACTATUS
NIHIL ESSE IN HOC

opere quod Christianæ religioni repugnet Iudicavit Religione & pietate insignis celeberrimus Concionator frater Franciscus Foreyro.

Ex officina
Typographi Regii
Anno Christi
1777

ILLVSTRIA C

REVERENDISSIMO D. RODERICO
Gomez: Pinario Portugalensis eccle-
się antistiti, & Olisiponensis Sena-
tus p̄sidi vigilantissimo Ferdi-
nandus Paez Pontificij
Iuris Doct̄or.

S. P. D.



VM PAVCOS ANTE

dies è Conimbricēsi Academia
(re ita exigente) discederem, me-
cumq; fortunas meas (supelle-
ctilem intelligo litterariã) affer-
rem, constitui, ne studia. nostra alijs impedita
negotijs, intermissa. scholarum dissuetudine re-
mitteretur; Iuris aliquot quæstiones aut ab in-
terpretibus. omnino neglectas, aut (quod est
frequentius) negligenter discussas, maturius
interim pertractare. Habet enim hæc studio-
rum ratio maiorem utilitatem, cum petat inde
fessam locorum inquisitionem, ordinem per-
spicuum, rerum examē quoad fieri possit exa-
ctissimū. Obtulit verò se se mihi has rationes
supputanti, cum primis illa quæstio de immu-
nitate parentibus propter liberos cōcedenda,
quæ (nisi ego magnopere fallor) non est tam

✠ ij facilis,

facilis, vt quidam prima facie iudicabunt: certe in praxi frequentissimam esse & quotidie exagitatam diffitebitur nemo. Quam ego iam alimine tractationis amplitudini tuæ deuotam concinabam, futurum sperans vt eo nomine indies cresceret & melior exiret. Eam igitur si non qualem deceat in tuas venire manus, atq; qualem licuit amplitudini tuæ offero: certo existimans fore hoc tibi non iniucū dum munusculum, ab eo presertim oblatum quem tu pro tua singulari & incredibile pietate ad sacrum baptismatis fontem in spiritua-

lem filium cooptasti. Faxit Deus opti-

Maxi. vt nobis patronus semper

ad sis, & in communem Chri-

stianæ Reipublicæ utilitatem

& Orthodoxæ fidei ampli-

ficationem quàm diu-

tissime viuas.

Vale.

I N V E N T A R I U M
eorum quę in hoc tracta-
tu continentur.

- 1 **R**eceptoris officium quale sit, & qualiter ge-
rendum vsque ad. n. 4.
- 2 Receptores eliguntur quolibet anno: quo finito: triē-
nio vacant, ex ordinatione Regia, licet iure anti-
quo varie statutum fuerit.
- 3 Receptores eliguntur ab officialibus camera: quibus
negligentibus à Thesaurarijs: vnde conciliantur
duę Ordinationes regia, quę ex diametro pugnare
videntur.
- 4 Munus publicum quid sit & varię eiusdem species.
- 5 Munus publicum tripliciter à Iurecons. accipitur: licet
à latinis in alia & quarta significatione capiatur.

¶ Circa primum requisitum.

- 6 Numerus quinque liberorum excusat patrem à mu-
neribus publicis onerosis tamen: dummodo tria re-
quisita copulatiue concurrant.
- 7 Primum requisitum breuiter probatur.
- 8 Resoluitur aliquorum cauillatio, & intelligitur. l.
3. §. quamuis versi. exactionem. ff. de muner. & ho-
norib.
- 9 Refertur notabilis decisio à maiore tribunali rei fisca-

INVENTARIUM.

lis lata circa istum numerum quinque filiorum
ibidem.

- 9 Probatur secundum requisitum, nec non & tertium iure communi & regio attento. n. 10.
11. Investigatur ratio decidendi quare filij prosint patri ad excusationem & n. seq.
Ratio Iureconf. in. l. 3. §. quavis. ff. de muner. & honor. non est finalis, licet aliqui contradicant ibidem.
- 12 Si aliquis ex quinq. filijs in potestate constitutis legitima etatis sit, loco parentis tenetur subire munera: nec aliter excusabitur pater, quavis haecenus per incuriam non ita vsu obseruetur.
- 13 Maior. 25. annis (licet filius familias) non excusatur à muneribus publicis, & ita praxis obseruat.
- 14 Ratio decidendi genuina ad hanc iuris immunitatem propter liberos assignatur, declaraturq. l. semper vers. demonstratur. ff. de Iur. immunita.
- 15 Pater tenetur alere filios, & ad hoc cogi potest: aliàs inter alias pœnas, patriam potestatem amittit.
- 16 Pater tenetur castigare filios.
- 17 Pater tenetur docere filios communem disciplinam: & eos bonis moribus instruere.
- 18 Varia priuilegia habentibus liberos concessa remissiue ponuntur: & quorundam errores breuiter admoventur.
- 19 Si adsit penuria ciuium an priuilegio isto quinque filiorum

- liorum donatus debeat eligi, vel præferri alijs, late discutitur.
- 20 Proponuntur varia iura quæ tres filios tantum requirunt, quæ quinq;, quæ duodecim, & quæ sexdecim & ea omnia ad concordiam reducuntur.
- 21 In tutela minor numerus liberorum requirebatur & quare.
- 22 Multis reprobatur glo. concordia ad. l. semper vers. demonstratur. ff. de Iur. immunita. cum. l. Si quis decurio de decurion. lib. 10. & n. 23.
- 24 Qualis liberorum numerus requiratur ad excusationem munerum patrimonialium & n. seq.
- 25 Assignatur vera & communis solutio prædictorum iurium & manifeste comprobatur. n. seq.
- 26 Rejicitur quorundam opinio & vere intelligitur. l. rescripto. §. Si quis. ff. de muner. & honor.
- 27 Intellectus ad tex. in. l. neq; de muner. patrim lib. 10.
- 28 Graviter errasse Pirrum & alios manifeste ostenditur.
- 29 Exponitur varie textus in. l. 1. de his qui num. liber. lib. 10 cuius verior intellectus noua consideratione adiuuatur.
- 30 Remissiue ponuntur multa munera à quibus nullus liberorum numerus excusat.
- 31 Filij siue masculi sint, siue femine, proficiunt patri ad hoc priuilegium impetrandum.

- 32 Omnes quinq; filij debent esse nati tempore muneris in-
dicti & publicati.
- 33 Proponitur elegans questio quæ in praxi accidit &
quid iudicatum fuerit.
- 34 Priuilegium datum post electionem, licet ante publi-
cationem, non prodest si fraus deprehendatur.
- 35 Omnes quinq; filij debent esse incolumes tempore quo
munus indicitur ad intellectum. l. 2. §. remittit. ff.
de excusatio. tuto. & n. seq.
- 36 Immunitas patri concessa propter filios an duret mor-
tuis filijs late traditur: qua in re inextricabilis do-
ctorum confusio & varietas ad lucem redigitur ex
tribus digestis conclusionibus.
- 37 Declaratur textus. in. l. 3. de his qui num. libe. lib. 10.
cum. n. seq.
- 38 Nepotes qualiter prosint aïo loco filiorum mortuo-
rum & n. precedenti.
Ordinatio lib. primo titu. 67. §. 31. in quibus circa hoc
priuilegium concordet & corrigat ius commune.
ibidem.
- 39 Filij mortui in bello proficiunt ad excusandum patrem
& quare.
- 40 An idem dicendum sit de filijs vulneratis in bello
& mortuis in castris latissime disputatur & nu-
meris seq.

Priuile.

INVENTARIUM.

- 41 Privilegium concessum militibus existentibus ad belli discrimen extenditur ad existentes in castris contra Ang. & Salic.
- 42 Exponitur. Notabilis decisio. l. bello amissi. ff. de excusatio. tuto & reprobatur las. ratio in materia fictionum.
- 43 Noue intelligitur. d. l. bello, licet ex Ordinatione regia eius decisio corrigatur ibidem.
- 43 Filij capti ab hostibus an prosint ad prædictam excusationem latissime agitur.
- 44 Expenditur decisio. l. filium de his qui numero liber. lib. 10. ibidem & n. seq.
- 44 Pater tenetur filium captum redimere aliàs iuste exheredatur à filio.
- 45 Discutitur ratio diuersitatis quare filius mortuus in bello profit patri: non verò captiuus ad intellectum d. l. bello amissi & d. l. filium vbi septem diuersorū rationes reprobantur.
- 46 Prædictorum iurium decisiones corriguntur hodie ex Ordinatione regia.
- 47 Filij quare magis quinque quàm in alio minori vel maiori numero prosunt patri.
- 48 Quinarij numeri dotes remissive ponuntur.
- 49 Circa secundum requisitum.
- 49 Filij vt prosint patri ad hanc iuris excusationem, debēt esse legitimi & naturales insimul.

INVENTARIUM.

- 50 Triplex ratio describitur quare adoptiui non proficiunt patri adoptanti.
- 51 Confunditur Aldobrandini duplex cauillatio earum rationum.
- 52 Triplex ratio signatur quare filij naturales tantum, non proficiunt & n. 53.
- 54 Resoluitur dupliciter obiectio facta ex Ordinatione libro quarto titu. 71. in principio.
- 55 Legitimati per subsequens matrimonium an comprehendantur & quando.
- 56 Filij naturales legitimati rescripto principis an proficiunt in hac materia.

Circa tertium requisitum.

- 57 Ratio quare regia Ordinatio desideret quod omnes filij sint in potestate ad hanc munerū excusationē.
- 58 Filius datus in adoptionem an excuset patrem naturalem.
- 59 Filius in adoptionem auo materno datus nec eidem prodest cum alijs quatuor filijs, nec etiam patri naturali & quare.
- 60 Filius arrogatus non prestat patri arroganti excusationem istam. Nec patri naturali: attenda Ordinatione regia, licet iure communi inspecto contra & n. 61.
- 62 Emancipati filij non proficiunt & quare.
- 63 Filij per matrimoniū liberantur à patris potestate: attē

INVENTARIUM.

- to iure regio & gallico licet iure cōmuni contra.
 Vxorati filij non computantur in hoc numero quinquario ibidem: idq; varie declaratur vsq; ad. n. 66.
- 64 Intellige de vxoratis per verba de presenti, non verò de futuro.
- 65 Etiam si invito patre matrimonium contrahat contra Cifuentes.
- 66 Elegans quæstio quæ in praxi accidit, & quid iudicatum fuerit.
- 67 Filius licet sit in domo patris, nō ideo dicitur in eius potestate contra aliquos.
- 68 Obiter admonetur qualiter intelligantur mille doctorum decisiones sibi ad inuicem repugnantes circa id quòd per emancipationem, vel matrimonium liberetur quis à potestate patris quoad sibi inutilia tantum, non verò quoad vtilia.
- 69 Filia vidua quæ reddit ad domū patris ante. 20. annū, an proficiat patri ad excusationem.
- 70 Filius qui officium habet, vel vnde congrue se alit, non præstabit patri excusationem istam.
- 71 Filij in potestate qui tamen alteri seruiāt an computentur in hoc quinario numero vt patri prosint.
- 72 Filius clericus si beneficium sufficiens habeat, parentē nō excusat, licet factus monachus excuset. n. seq.
- 73 Patria potestas soluitur per ingressum religionis secuta professione.

INVENTARIUM.

- 74 *Filij qui sunt apud Indos, Afros vel alibi an computentur in hoc numero.*
- 75 *Qui scienter eligunt habentes quinque filios condemnantur in expensis & ita iudicatum fuit.*
- 76 *Camerae officiales postquam aliquem eligunt non possunt eundem à munere excusare.*
- 77 *Graua men intra quod tempus proponi debeat.*
- 78 *Et intra quod tempus presentari tam iure communi quam Regio clare ostenditur.*

FINIS.

UTRVM NUMERVS
LIBERORVM EXCVSET PA-
trem à muneribus publicis, Recepto-
rum, vel Tutorum, & qua-
liter.



ESV NOMEN QVOD EST
super omne nomē humiliter im-
ploro, Sacratissimæq; Virginitis fa-
uorem: vt proposita quæstio fœ-
liciter absoluat.

Quæstio ista adeo frequens est, & in forensi
actione agitata, vt opere præcium facturū existi-
marim, si omnia requisita iuri, & præxi conso-
na in hac materia breuiter, & resolute ostēdero.

Quæ omnia vt clarius intelligantur, succin-
tè præmittendum est, quodnam sit officium
Receptorum, deinde quid sit munus publicū,
& quotupliciter accipiatur, omisso tutoris mu-
nere omnibus satis noto.

I Officium † igitur Receptorum, de quo agit
totus titulus de susceptoribus lib. 10. tale est:
(omissa officialiū varia diuisione, qui olim fis-
cales pecunias curabant, de qua latè per Cassa-
neum in Catalogo gloriæ mundi sexta parte,
cōsidera. 17.) hodie in qualibet prouinciā, ciui-
tate, vel loco præcipuo sunt Thesaurarij, quos

A

vulgò

vulgò vocamus (Almozarifes.) Sed quia isti non possunt colligere pecunias fiscales, eliguntur^t in singulis locis Receptores quolibet anno, iuxta tex.in.l.missi, cum similibus citatis à glo.in verbo anni, de exactorib. tribut.lib.10. quia vt notabiliter dicit Imperator in.l.neminem, de susceptorib.lib.10. *Neque eos qui placuerint grauare iustitiæ est, neq; eos qui displicuerint tenere prudentis est.* Vnde talibus (impleto & finito anno per ord.lib.1.tit.45.§.8.) triennij datur vacatio, prout etiam constat ex rubr. de munerib.& interual.lib.10. & hoc iure vtimur, vt omitteremus antiquiora iura, quibus decem, quibus quinque annorum dabatur vacatio, quibus etiam biennij tantum, vt latè per Tiraquel. in repet.l.si vnq̃. C.de reuocan. donation. fol. mihi.15. nu.24.

3 Istos^t autem receptores nõ eligunt Thesaurarij, sed officiales cameræ vt constat, Do Regi mēto da fazenda cap. 72. & notū est atq; olim ita fieri solitum ex Giliel. in. c. Raynutius, in verbo & vxorem nomine Adelasiam.n.217. de resta. cassan. vbi supra, & latissimè ex Rip. de peste tit.de remedijs ad conseruandam vbertatem in princ. quanuis data negligentia prædictorum officialium, ista nominatio Receptorum per-

rū pertineat ad ipsos Thesaurarios ex Ord. do
regimento da fazenda cap. 102. §. fi. quæ ita ne-
cessario est intelligēda ne aduersetur dict. c. 72.

Electis receptoribus per eos, colligebantur
omnes pecuniæ, & statim ad prædictos Thesau-
rarios deferebantur, reddita de omnibus ratio-
ne, iuxta decisionem tex. in. l. diu, de suscepto-
ribus lib. 10. Notabilis secūdam Dec. in confi.
6. & declarat Cassane. vbi supra consideratio-
ne. 19. & 20. latius Rip. dicto loco. n. 24. & seq.
idq; libro duntaxat rationum confecto, vt per
eundem Rip. n. 5. & 6. licet hodie nullo modo
receptores recipiant, nisi presente gabellarum
scriba, & omnia in libro scribente: ex eadem
Ord. do Regimento da fazēda c. 72. in medio.

4 Ad secundum[†] deueniendo quid sit munus
publicū, & quotupliciter accipiatur: licet ista
materia munerum in iure diffusa sit, dubia &
sparsim tradita, vt exorditur Alberic. in rub. ff.
de muner. & honor. Martianus tamē Iurecon.
in. l. 214. Munus. ff. de verb. sig. id esse diffinit.
*Quod necessariò subimus lege, more, imperiove eius qui
iubendi habet potestatem.* vbi Alciatus post anti-
quiores omnes declarat, ideo non insistimus.

Quorum quidē munerum publicorum va-
riæ sunt species, vt latè est videre per omnes in

dicta rub. latissimè per Azo. in Summa eodem
 tit. per omnes in l. placet. C. de sacrosan. eccles.
 & in. c. non minus, de immunit. eccle. per glo.
 & scribes in verbo munera, in. c. accusatus,
 §. ille quoque, de hæret. lib. 6. per Card. in Cle.
 1. de vit. & honest. cler. Calder. conf. 2. de censi-
 bus num. 2. per Petrum de Vbaldis in tractat.
 de collectis, in fine conf. 1. n. 6. & Petrum Anti-
 boli in tract. de muner. 3. parte principali. §. 2.
 per totum, post Giliel. à Cuneo in eodem tra-
 ctatu in princ. per Bertachin. in tractat. de ga-
 bellis in princ. n. 10. per Montaluam in reper-
 torio suo in verbo munus, per. 4. col. Stephan.
 Bertrând. in conf. 346. n. 3. vol. 2. Cassane. & ali-
 os multos per ipsum citatos in Consue. Burg.
 rub. 1. §. 4. n. 26. cum seq. & nouissimè per Clau-
 dium Cothoreum lib. 2. de iure militũ cap. 35.
 vt alios quamplures omittam.

- 5 Sed his⁷ omnibus omisis Paul. Iureconf. tri-
 pliciter accipi verbum hoc, munus, attestatur
 in l. 18. Munus tribus. ff. de verb. sig. vbi Odo-
 fred. & pulchrius And. Alciat. ex. n. 1. adnota-
 runt, vel pro munere prout significat donum,
 & largitionem, vel prout honorem, vel prout
 onus denotat. De munere prout significat do-
 num, iuxta. l. munus proprie. ff. de verb. signifi.
 non.

non agimus in presentiarum: quia si pater propter numerum liberorum deberet priuari istis muneribus in hac acceptione (quibus magis indiget propter onus quod habet) nullum ei daretur privilegium, immò incommodū maximum contra. l. i. cum materia. ff. soluto matrimonio. Nec etiam agimus de munere prout designat honorem, nam eo priuari non debent qui præmium merentur: imò ab istis publicis muneribus, & honoribus non excusantur, etiã quibus muneris publici vacatio data fuit, teste Iureconsultul. in. l. Cui muneris. ff. de munerib. & honor. vbi reddit rationem, *quia id ad honorem magis quã ad munera pertinet.* bonus tex. in. l. i. ibi. *Quæ dignitati eorum congruunt fungi debent.* de excusat. muner. lib. 10. l. 4. l. in honoribus. ff. de vacat. muner. Ord. lib. 1. tit. 45. §. 10. & in proprijs terminis respondit Vlpianus. *Numerum liberorum ab honoribus vel muneribus his coherentibus excusationem non præstare.* in l. 2. §. numerus. ff. de vacat. muner. Minus etiã agimus de munere quod accipitur pro spectaculis, seu ludis, qui à principe populo, quasi muneris loco exhibebantur: id namq; genus oblectamenti antiqui munera nominarunt, vt ex Suetonio & Martiali probat Ambros. Calepinus in

suo dictionario in verbo munus in fine vbi hęc
 significationem, cuius non meminit Iureconf.
 tanquam quartam scribit. Agimus ergo de
 munere prout significat onus: & in hoc sensu
 tripliciter etiam accipitur à Iureconf. in. l. mu-
 nerum civilium triplex est diuisio, vbi latè ex-
 emplificat. ff. de muner. & honor. declarat Al-
 ciatius in d. l. munus n. 3. scilicet, pro munere
 patrimoniali, personali, & mixto, quę omnia
 vna significatione compræhenduntur: nam
 & patrimonialia, personalia, & mixta, ciuilia,
 seu publica munera appellantur ex eodem Iu-
 reconful. in d. l. munerum vers. sed ea quę: à
 quibus vtrum numerus liberorum excuset,
 tota nostra dependet quæstio, & breuiter re-
 spondendum est[†] quòd hæc munera aliquan-
 do dignitati annectuntur, & honores appellan-
 tur & tunc non agimus in præsentia, aliquando
 vilia reputantur: aliquando nec vile, nec hono-
 rificum aliquid in se habet hoc munus, vt cum
 subire curam pecunię aliquis compellitur ex
 Alciat. in. d. l. munus tribus n. 4. eo enim casu
 onus annexum ita in se habent ea munera, vt
 ad illa rustici vocentur, id est, ad onera vt expo-
 nit Odofre in. d. l. munus in medio, in qua spe-
 cie affirmatiuè dicendum est numerum libero-
 rum:

rum excusare dummodo tria copulatiuè concurrant, quæ nos infra latius declarabimus, scilicet, q̄ sint numero quinque, q̄ sint legitimi & naturales, & q̄ sint in potestate. Si enim alterum istorum deficiat tunc negatiuè (licet duo concurrant) respondendum est, numerum liberorum neutiquã excusare à prædictis muneribus: quæ requisita exseq. iuribus breuiter colliguntur.

7 Primum^t requisitum q̄ sint numero quinque, probat. tex. in. l. 3. §. quamuis vers. cura ibi *Numerus quinq. liberorum incolumium excusat*, & in l. 4. incip. cura ibi à quo quinq. liberorum. &c. ff. de muner. & honor. l. 2. vers. numerus liberorū. ff. de vacat. muner. Casus in. l. *Muneribus civilibus non fungeris quæ personis mādantur si quinq. filios incolumes habeas* (inquit Imperator) de sumptuū recuper. li. 10. & in. l. fi. de his qui numero liberorum excusationē meruerunt eodē li. vbi omnes cōmuniter & alibi passim. Quin & à tutela excusare numerū istū quinariū probat Cassus in princi. insti. de excu. tutor. & in. l. 2. vers. remittit ibi *filiorū multitudo*, iuncta cōmuni interpret. ff. eo. tit. Ord. li. 1. ti. 67. §. 31. ibi. *Pero se algū tenesse cinco filhos.* &c. in hoc iuri cōmuni consona, & sunt alia infinita iura idē clare pbantia.

8 Nec obstat[†] aliquorū cauillatio dicentium, prædicta iura loqui in tutoribus, non verò in receptoribus: in quibus numerus quinque liberorum non excusabit: cum munus receptorum videatur patrimoniale per text. in. l. 3. §. quamuis vers. *Exactionem tributorum onus patrimonij esse constat.* ff. de muner. & honor. at verò constat à muneribus patrimonialibus non excusare numerum quinque liberorum vt infra latius dicemus n. 24. 25. & 26. Quo argumento adeo rem cōtrouerterūt, vt ad maius tribunal rei fiscalis delata fuisset dubitatio: quo loco, præsentē, & non contradicente procuratore fiscali, vnanimi grauisssimorum Senatorum, illustrissimiq; Baronis consensu constitutum fuit, & tanquàm in legem redactum in posterum seruandam, ea iura que patrem propter numerum quinque liberorum à tutelis excusant, eadem ratione ab his receptorum offitijs excusationem præstare: eo maxime q̄ supra citata iura præcipue tex. in. d. l. muneribus ciuilibus ibi *Que personis mandantur. &c.* de muneribus solitis personæ mandari loquatur, qualia sunt hæc receptorum. Nec tex. in. dicto ver. *exactionem*, aliquid repugnat: cū non loquatur actiue in illis qui recipiunt ab alijs, sed passiuè de illis

illis qui soluunt tributum prout glo. ibi communiter recepta interpretatur verbo constat quam Bar. & omnes sequuntur: Igitur cum ex re sepe sepius iudicata veritas illucescat, dubitationi locus amplius non relinquitur, & omnino tollitur ex ea nouissima decisione scripta in quodam grauamine Oppidi nuncupati. (Sequis) termini de Ageda cuiusdam Petri Glz agricolæ habentis quinq; filios: & publicata decimo Calend. Maij anno Domini. 1559. Cuius processus scriba fuit Emanuel Paaez.

9 Secundum requisitum[†] q̄ sint legitimi & naturales, probat text. in. l. 2. vers. *Adoptiu in numerum non proficiunt eorum liberorum qui excusa re parentes solent*, inquit Vlpian. Iureconf. ff. de vacat. muner. vbi cōmuniter omnes ita declarant, & in iuribus supra citatis n. 7. & est casus in. l. 2. §. *remittit ibi legitimos autē oportet esse omnes*. ff. de excusat. tutor. ideo non immoramur.

10 Tertium requisitum[†] q̄ sint in potestate, descripsi: quoniam Ord. regia dicto §. 31. lib. 1. tit. 67. ibi, *todos os ditos cinco filhos em seu poder*, ita requirit necessario q̄ sint in potestate, atq; ita obseruatur in praxi: vnde non curauī hoc tertium requisitum ponere negatiue, prout iure communi clarum est: quòd licet non essent

in potestate, excusationem tamen patri præstabat in principio institut. de excusat. tutor. *ibi siue in potestate sint, siue emancipati.* in. l. 2. §. 1. *ibi etsi non sint in potestate.* ff. de excusat. tutor. l. 2. vers. *quæ patrimoniorum ibi etsi in potestate patris sui deserint esse.* ff. de vacat. muner. & latius declarabitur infra in hoc eodem requisito n. 50. quibus ita prælibatis, antequàm ad alia deueniamus : ratio prædictorum inquirenda est, cum à doctoribus aliquantulum deserta videatur.

- 11 Et ante omnes Ulpianus[†] in. l. 3. §. *quamuis* ff. de munerib. & honor. videtur sentire decidendi rationem in illis verbis, *ideo enim propriū præmium immunitatis propter filios patribus datum est quod illi subibunt.* Hanc rationem iuuat text. in. l. fin. C. de his qui numero liberor. lib. 10. vbi Imperator excusat patrem habentem quinque filios, *ita vt si in hoc numero legitimæ ætatis filius inueniatur, obediendis statim pro suo patre muneribus applicetur.* Quæ sunt formalia verba text. Quibus Imperator videtur ostendere : quod ideo filij profunt patri ad excusationem, quia postea pro patre poterunt prodesse, & reipublicæ seruire. Hanc rationem sequitur Ioannes de Platea in vers. & posset in. l. 2. C.

2. C. de his qui numer. liber. lib. 10. quo non citato idem inibi affirmat. Rebus. in fin. & Pirrus in. l. in albo de decurion. lib. 10. Sed ante omnes expressit glos. in verbo applicetur in d. l. fin.

Sed (ni fallor) hæc ratio non mihi videtur genuina, nec finalis huius decisionis : nam si esset vera, sequeretur quòd si pater haberet quinque filios infantes, qui non possunt pro eo munera subire, vel inhabiles, non proficerent ad excusationem, quòd tamen falsissimum est ex glosa in verbo datum & communi omnium sententia in. d. l. 3. §. quamuis. Nec in hoc dubitandum est, cum in infantibus sit maior ratio, vt infra ex vera decidendi ratione colligitur : & ex eo etiam quòd sensit Ioannes de Platea inhabiles prodesse patri in. d. l. fin. num. 2. vers. & attende. Rursum & sequeretur quòd filiae fœminæ non prodesse patri, cum pro ea munera publica subire nequeant. l. fœminæ cum similibus. ff. de regul. iur. quòd valde erroneum est dicere ex iuribus clarissimis in. d. l. fi. ibi *cumscunque sexus liberos*, & in. leg. 2. §. remittit vers. non solum ibi *filij & filia*. ff. de excusatione tutor. & ita in terminis eam rationem non esse finalem,

sed

sed impulsiuam expressit Petrus Antiboli in tractat. de muner. & honor. 3. parte principali §. 2. n. 14.

Nec sine causa dicitur impulsua, quoniam
 12 iuxta[†] dictam. l. si. si filius inueniatur legitima ætatis pro patre munera subibit. Cum hæc fuerit qualis qualis causa præstandi priuilegiū hoc immunitatis patri suo: & ita deberet profecto in praxi obseruari: debuissentque Senatores rei fiscalis ante omnia inquirere An aliquis ex illis quinque filijs: sit legitimæ ætatis, vt loco patris seruiat. Sed non est in vsu ex eo (vt opinor) satis leui fundamento: quia cum talis filius sit in potestate patris & proprium non habeat, periclitabitur res fiscalis, si talis filius familias male administrauerit, & non habeat vnde soluat cum pater pro eo non teneatur. leg. filios in fine. Cod. de decurion. libro decimo. Nam ex eodem text. manifeste conuincio in hac nostra specie id falsum esse, & iniquissimum istum vsu, immò potius (vt ita dicam) inaduertentiam, & abusum debere tolli, & omnino deleri: quia si filius pro patre hoc casu tenetur ex dicta leg. finali, cogetur pater consensum accommodare, vt tunc de administratione ipsius filij aduersa possit

possit conueniri, & pro eo satisfacere quo casu non loquitur tex. in d. l. filios secundū. Bar. & communē interpretationem quę supplico

13 notentur. Nec enim [†] quia filius familias est ob id habet excusationem si est legitimę ætatis. d. l. filios. l. si. §. imperator. ff. de excusation. tutor bonus text. in l. 3 §. quamuis maior ibi. *Filij tamen eius suo nomine competentia munera agnoscere debent.* ff. de muner. & honor. ex quibus iuribus iam ita iudicatum vidi in quodam grauamine Oppidi de Tentuguel.

Deniq; cum hæc ratio non sit finalis, causa
14 & ratio genuina [†] querenda est. Quæ (meo iudicio) nulla alia melior, nec præstatiõ dari potest: quã illa Iureconf. in l. semper vers. demonstratur. ff. de iur. immunit. in illis verbis. *Non est irrationabile vt concedamus filiorum educationi & remitti tibi munera.* Quibus videtur sentire quod propter educationem filiorum cõcedatur hæc excusatio parentibus. Pro qua sententia facit tex. in c. nuptiarum, vers. *filiorum quippe procreationi.* 27. q. 1. sed melior. in c. non enim in solabibi. *Sed alia sunt ad nuptias proprie pertinencia, sicuti cura ordinate filios procreandi.* Inquit Augustin. 32. q. 1. & adiuuatur ex eo quia munus publicum etiam dicitur procreatio filiorum teste

Ambro-

Ambros. in. c. dixit Sarra. 32. q. 4. & Iureconf. in l. hoc modo. ff. de cond. & dem. in fi. inquit. *Legem enim vtilem rei publicæ sobolis procreandæ causam salutem, adiuuandam. &c.* l. vnusquisq; sobolem suam nutriat. C. de infantibus exposit. nam cum educatio filiorum sit de iure naturali. c. Ius naturale. 1. dist. merito excusantur patres priuilegio filiorum, ob eorum educationem à muneribus ciuilibus, & onerosis. & nuncupari priuilegium, immunitatem istam patri à iure concessam filiorum causa probat text. in. l. 1. ibi *contra id priuilegium.* C. de sumpt. recuperat lib. 10. atque ita hanc esse decidendi rationem sui immemor expressit Rebuf. in. l. si quis decurio a. 2. in principio de decurion. lib. 10. & Lucas de Penna in. l. ne potes prope finem de his qui num. liber. lib. 10.

Sed adhuc ista ratio videtur insufficiens quoniam filiorum educatio magis pertinet ad matrem quàm ad patrem elegans tex. in. l. Necare ibi *qui alimoniam denegat.* ff. de liber. agnoscen. iuxta subtilem, & verum intellectum Egregij Iureconful. Emanuelis Costæ in Rep. l. Diuus Adrianus cap. 4. ff. de parricid. quia magis indigent filij materno solatio, quàm paterno, verba sunt Gregorij. 9. in. c. 2. de conuers.

uers. infidel. Quin & in lactando laboriosam esse matrem notatur in dicto cap. 2. expressit glo. notabilis in summa. 27. q. 1. vbi à matre matrimonioũ dici asseuerat, non verò a patre, quia plura onera subit & tolerat mater: est enim in cõceptu grauida, in partu dolorosa, in lactãdo laboriosa. Si igitur omnem laborem sustinet mater in educatione filiorum, eidem deberet concedi priuilegium, & non patri. Nec Iure-consult. videntur bene concludere, dum dicunt quòd propter filiorum educationem concedatur patri immunitas ista.

Verum enimuerò vt hoc obiectum remoueat (licet doctores non tetigerint) verba illa (*filiorum educationi*) posita in d. l. semper nõ sunt intelligenda de stricta lactis, & infantiaæ æducatione, quæ magis pertinet ad matrem, iuxta text. ita intelligendum in d. cap. 2. ibi, *infantes magis indigent materno solatio. &c.* Sed pro latiori filiorum educatione, quæ ad patrem spectat: scilicet alimentandi, castigandi, docendi, bonisq; moribus instruendi.

15 Nam primo[†] ad patrem pertinet alere filios. l. alimenta. ff. de negocijs gestis & anathema iudicatur pater, qui eos non alit. c. si quis reliquerit. 30. dist. & adeo, quòd nolens volens cogendus

gendus sit. l. si competenti. C. de alen. liber. l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. bonus tex. in l. pe. in. fi. C. de patria potestate: idq; etiã si sint naturales. c. cum haberet cum sua materia de eo qui dux. in matrimon. quæ omnia & iure Regio probatur lib. 4. tit. 68. in princ. cum sex §. §. seq. & adeo vera sunt, vt si pater alimēta ne gauērit filijs, perdat patriam potestatem: quod mirabile est & probat. text. legistis incognitus in. c. 1. de infant. languid. exposit. cuius tamen meminit solus Egregius Iurecons. Emanuel a Costa in rep. l. si ex cautione n. 7. pag. 57. C. de non num. pecun. licet contra illum text. quem ignorarūt loquuti fuerint Salyce. Hipol. & alij varijs in locis quos (ne diuertamus) omitto.

16. Spectat^t & ad patrem filios castigare, bonus tex. in. l. 3. ibi *castigare iure patrie potestatis non prohiberis*. C. de patria potest. quem. tex. alias commendat & elegāter more suo declarat insignis doctor Arius Pinelus in cōmentarijs rub. C. de bon. matern. 2. parte. n. 30. & 31. vbi multos citat: facit etiā tex. in l. vnica ibi. *iure patrio auctoritas corrigat propinqui iuuenis erratū*. C. de e. mendat. propinquo. Sed melior iure can. in. c. non osculatur semper pater (inquit Ambros.) Sed aliquando castigat. §. q. 5. Quibus verbis adiungit

adiungit istam cōsequentiam, ergo quando casti-
gatur qui diligitur, tunc circa eū pietas exercetur. & c.
Iunat quod habetur Prouerb. 13. in fi. *Qui par-
cit virgæ odit filium suum.* & Prouerb. 23. *noli sub-
trahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum vir-
ga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam
eius de inferno liberabis.* Accedat illud quod Ioan-
nes in Apocalip. cap. 3. *Deus quos diligit arguit &
castigat.* Conducunt maxime verba illa literis
aureis describēda Ecclesiastici. 30. cap. quæ ita
habent. *Qui diligit filium suum assiduatur illi flagel-
la, vt letetur in nouissimo suo, qui docet filium suum,
laudabitur in illo, qui docet filium suum, in zelū mit-
tit inimicum, mortuus est pater eius, & quasi non est
mortuus, quia similem reliquit sibi post se: & inferius
inquit, non des illi potestatem in iuuentute, & ne despi-
cias cogitatus illius, curua ceruicem eius in iuuentute,
& tunde latera eius, dum infans est, ne forte induret,
& non credat tibi, & erit tibi dolor animæ, æquius in-
domitus, euadet durus, & filius remissus euadet præ-
ceps.* quæ formalia verba, quia notatu digna lu-
benter transcripsi. Faciunt denique (vt alia in-
finita omittamus) quæ de castigatione filiorū
notat Diuus Ambro. in. c. sicut hi. §. necesse. 47.
dist. & quæ late tradit Thom. 22. q. 65. artic. 2.
per totū: eleganter frater Dominic. Soto lib. 5.

de iust. & iur. q. 2. ar. 2. per totū & quæ notarunt scribētes (de patre castigante filium clericum an sit excommunicatus ex canone si quis sua-dente) in. c. 1. iūcta glo. si. de senten. exco. quod latius alibi discutietur : & quæ etiam adiungit suauiter Aulus Gellius lib. 2. cap. 7. cum alijs.

17. Pertinet^t & ad patrem filios docere, & bonis moribus instruere, vt constat ex eod. loco Ecclesiast. 30. ibi, *doce filium tuum, & operare in illo.* & ibi, *qui docet filium suum laudabitur in illo.* &c. facit quod habetur Deute. 6. ibi. *Narrabis filijs tuis.* &c. vbi Nicol. Liran. lit. M. notat patrem teneri filios informare de dilectione Dei, & de his quæ sunt necessaria ad salutem eos erudire, colligit idem Liran. ex ca. 13. Exodi lit. L. Quin & patrem teneri docere per se, vel magistrum filios communem disciplinam : scilicet legendi, & scribendi, licet non ad alias altiores scientias. Probat text. in. l. qui filium. ff. vbi pupil. educari debe. vbi omnes notarunt, & notabiliter Bar. in. l. Macedoniani. n. 1. C. ad senatus. conf. Macedon. & omnes in. l. quæ pater. ff. famil. hercisc. Fel. in. c. 1. n. 2. de magistr. Cum igitur (vt alia omittamus onera, quæ infinita sunt, dotandi filias, quod est officiū paternum. l. si. cum materia de dot. promissione, fortuitos
casus

casus filiorum, & incómoda magis q̄ propria sentire) tot, tantisq; nexibus pater propter filios adstrictus sit. Nec non ad alia omnia, quæ spectant ad officium paternum cumulata per Ioannem Boscheum lib. 5. de numerorum ratione. fo. 29. verso vers. quoniam & fo. 30. & 31. 18 non fuit inconueniens, nec mirum si iura[†] hoc priuilegio (liberorum causa) patres ornarent, & alijs multis, quæ cumulat Ioannes Bosche. vbi supra lib. 6. fo. 32. verso.

Immò veteres Romani quantum poterant, multa constituebant priuilegia vt ciuitas filijs repleretur. l. 1. cum materia. ff. sol. matrimo. cū intersit reipublicæ liberis hominibus eam repleti. l. cum ratio. ff. de bon damnator. vbi Iu reconf. Diui Adriani sententiã refert dicentis.

Ampliari imperium potius hominũ adiectione, quã pecuniarum copiã malim. accedat quod habetur c. 7. legis Iulię ibi, priori ex consulibus fasces sumendi potestas sit, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quã collega in sua potestate habet. Iuuat multa priuilegia habentibus liberos concessa, quæ notarũ scribētes in. l. in albo per rex. ibi. de decurio. li. 10. vbi latissimè Luc. de Pen. & Pirrus spatiatur, faciũt quę habetur in. l. 1. & 2. ff. de albo scrib. quæ latissimè congerit Cassa. in conf.

Burg. rub. 1. §. 4. vers. quid autem fo. 37. & in Ca-
thologo gloriæ mundi. 11. parte consideratione
12. & que de pœna minuenda patribus delin-
quentibus propter multitudinem filiorum, ad-
ducunt Paris de Puteo, Ioannes de Arnono,
Thom. grammaticus, & alij citati per Lodouic.
Carrer. in pract. crim. §. circa. n. 105.

Vnde ex prædictis, inter alia, hoc etiam pri-
uilegium cōcessum fuit iusta de causa, vt à mu-
neribus ciuilibus excusentur patres, qui scilicet
filios habuerint: siue hæc munera sint publica
authoritate, & vtilitate, vt sunt hæc Receptorū,
de quibus agimus: siue publica, autoritate tan-
tum, & vtilitate priuata, vt sunt tutelæ & curæ:
prout declarat glo. notab. in principio instituc.
de excusatio. tut. in verbo publicum.

Nec mouentur grauisimī Senatores rei fis-
calis à præstanda tali excusatione, Si ab officia-
libus cameræ alicuius ciuitatis, vel loci, dica-
tur: q̄ ferè omnes illius oppidi habent quinq;
filios, vnde aliquis eorū debet necessario subi-
re tale munus, ne pecuniæ fiscales detrimentū
patiantur (vt in praxi controuersum vidi anno
elapso) nam responsum, & decisum fuit, quòd
si omnes ita meritò, & tanta de causa sunt à iu-
re, liberorum causa priuilegiati, omnes excu-
sentur:

sentur: & sumptibus publicis aliquis eligatur: & ita haectenus vsu obseruatum vidi. Quapropter audiendi nō sunt, qui volunt extincta esse priuilegia concessa habentibus liberos, & equatos eos qui sobolē non habent: eis, qui liberos procrearunt: quos omnes merito reprehendit Duare. lib. 1. disputationum cap. 40. licet falso illius opinionis fuisse doctiss. Alcia. existimet: à cuius nota, eum vendicat Insignis Arius Pinelus in. 2. parte rub. de bon. mater. fol. 17 n. 15.

19 Prout^t nec etiam audiendi sunt, qui (vt nūc audiui) existimant, non excusandos fore parentes priuilegiatos hoc priuilegio à iure propter liberos concesso, si adsit penuria ciuium: putā quia omnes sunt priuilegiati alijs multis priuilegijs: quo casu immunitas infringitur. l. vt gradatim. §. quoties penuria est. l. honor. §. fin. cum similibus. ff. de muner. & honor. Nam vltra id quod supra diximus sepe sepius iudicatum, vt eo casu eligatur aliquis sumptibus publicis: Constat priuilegiatos hoc priuilegio de quo agimus, praferendos esse alijs omnibus priuilegiatis. Primo quia priuilegium hoc est clausum in corpore iuris, vt est notum ex iuribus citatis supra. n. 7. & dicitur ius cōmune secundum Bal. in. l. 1. col. pe. vers. vnde quaeritur

C. de furt. igitur præferendum est alijs omnibus priuilegijs, ex sententia glo. in verbo non compelluntur cum ibi notatis in l. 2. §. legatis. ff. de iudic. Secundo facit, quia in generali derogatione priuilegiorum, nunquã censetur reuocatum clausum in corpore iuris glo. 1. in l. 3. C. de silentarijs li. 12. Sed melior in auth. qua in prouintia verbo illic vers. *dic ergo cessare priuilegia indulta per principem uiuentem: vt in corpore Authenticorum, sed non indulta per legem redactũ in corpore iuris*: quam glo. ad hoc multis ornat post Bar. Bal. & alios Cosmas in pragmat. ti. de causis. §. statuit, o. 1. verbo in iure fo. 7. Igitur cessare potius debet alia oĩa priuilegia, & ea infringi, data penuria, quã nostrũ hoc, clausum in corpore iuris. Tertio adiuuatur quia priuilegiũ continens ius commune (vt est hoc) præfertur alijs omnibus priuilegijs specialiter cõcessis, ex sententia specul. titu. de instrument. edition. §. nunc autẽ videndum: bonus. tex. cum ibi notat. in l. eius militis. §. militia missus. ff. de militar. testam. iunctis quæ latè adducit Tiraq. in tractatu cessante causa: limitatione. 11. n. 4. Rursum & 4. suadetur, quia istud priuilegiũ de numero filiorum, fuit introductũ ratione publicæ auctoritatis, & utilitatis, vt respublica liberis

ris impleretur: At verò alia ferè omnia sunt auctoritate tantum publica, & vtilitate priuata: vt dicemus infra. n. 21. igitur illud præferendū est data penuria. Cum maior sit ratio, & vrgentior oneris alimentandi quinque filios ex hæcenus dictis ad rationem decidendi propositæ quæstionis. Qua vtcūq; breuiter agitata, superest vt ad materiã, & vtilis quæstiones, & in praxi quotidianas deueniamus. Quæ omnia vt suis locis reponantur: singula ea tria requisita latius tractabimus: quodq; suum fuerit, vnicuique adiiciemus.

Requisita igitur hæc sunt.

Primum. Quod sint quinque filij.

Secundum. Quod sint legitimi, & naturales.

Tertium. Quod sint in potestate.

Deueniendo ad primum, quæ sint quinque, vt mille iuribus supra citatis probatū iam extat: videndum quoque necessario est, qualiter intelligantur alia multa iura; quæ ex diametro repugnare videntur huic priori requisito: atque adeo, vt mirabiliter inter se discordare fateatur Alberic. in. l. 2. in fine principij. ff. de vacation. muner.

Et adest primo text. in principio institut. de excusat. tutor. ibi, *Si enim tres liberos Romæ*

quis habeat vel in Italia quattuor. &c. ex diametro
 20 verò est[†] tex. in. l. 24. si quis decurio. C. de decu-
 rionib. lib. 10. cuius verba sunt. *Si quis decurio
 pater sit duodecim liberorum, honoratissima munerū
 quieti donetur.* Nec aliud habet tex. igitur mani-
 festa videtur repugnantia. Quin & Iureconf.
 alibi in. l. semper vers. demonstratur. ff. de iur.
 immunitat. (ne alia indigeamus inductiōe) ita
 habet. *Sed tamen quia sexdecim pueros habere per li-
 bellum notificasti, non est irrationabile, vt conceda-
 mus filiorum educationi, & remitti tibi munera.* Im-
 mò quod magis est, nullum liberorum nume-
 rum proficere ad excusationem, decantare vi-
 dentur verba Imperatoris in. l. 1. C. de his qui
 numer. liber. lib. 10. ibi *Numerus liberorum ab o-
 neribus non excusat:* igitur manifesta & grandis
 videtur anthinomia inter hæc iura, quæ tamen
 omnia ad amicitiam, & concordiam reducen-
 tur ex sequentibus.

21 Et glos. [†] sentiens primo loco superius ad-
 ductam difficultatem, respondet in. l. 3. verbo
 quinq;. C. de his qui nume. libe. lib. 10. in tute-
 la illud esse, quoniam tale munus erat publi-
 cum autoritate, & vtilitate priuatum: At ve-
 rò nostrum hoc munus de quo agimus, est pu-
 blicum, & autoritate, & vtilitate: in quo nil
 mirum

mirum si maior copia filiorum requiratur. Similis glos. in verbo publicum in principio institut. de excusat. tutor. quibus glo. non citatis, hanc rationē scripsit Alberic. in. l. 2. in principio. ff. de vacatio. muner. & in. l. 2. §. remittit. ff. de excusat. tut. & Ioannes de Platea in. l. si quis decurio de decurionib. lib. 10. in principio. Alij verò fauore vrbis Romanę, minorem numerum requiri, affirmarunt in dicto principio de excusat. tutor.

Veruntamen licet ex prædictis satisfiat priori difficultati, non ideo tollitur aperta contrarietas, quæ inest inter illa duo iura, quorum alterum duodecim filios, alterum sexdecim requirit ad excusationem munerum: quæ vt etiã concilientur cum alijs supra citatis, quibus numerus quinque filiorum sufficit, Magna inter doctores inest confusio, & perplexitas: nos verò rem clarius distinguemus.

22 Quare glo.† deterrita tanta varietate, interrogans quomodo tam varie? Respondet in. l. semper. verb. sexdecim. ff. de iure immunitat. & pro regula constituit, quinque filios tantum sufficere, vt in iuribus de quibus supra. At verò ea omnia iura quæ maiorem numerum requirunt, procedant de facto, quia sic accidit. Pro

qua solutione ponderari potest tex. in. d. l. semper dum habet, *quia sexdecim pueros habere per libellum notificasti. &c.* quibus verbis Iureconf. significare videtur ita de facto accidisse: unde nil mirum si & ei remitti munera dixerit, cum in maiori summa insit minor, quæ sufficiebat c. i. cum vulg. de arbitr. li. b. Id quod etiam clarius innuere videtur dictio illa, &, quæ pro etiam aliquando accipitur: quasi dicat, etiam remittentur tibi munera: & à fortiori, si sexdecim filios habeas, cum quinque sufficiant. Pondero etiam text. vt huic solutioni quadret in d. l. *si quis decurio* (inquit Imperator) *pater sit duodecim liberorum, honoratissime munerum quiete donetur.* hoc est, si quinque filij sufficiunt, à fortiori duodecim, & maiori cum ratione iuxta verbum illud *honoratissime*: cum maius præmium mereatur, qui magis rempublicam liberis replet iuxta notata in. l. i. ff. solut. matrim. Accedit huic solutioni &. 4. loco si aduertas, in dictis duobus iuribus, nempe in. d. l. semper vers. demonstratur & in dicta. l. si quis decurio, non poni regulam negatiuè, scilicet quòd nullus numerus sufficiat, nisi duodecim, vel sexdecim liberorum. Nec ita potuit constitui, cum negatiuè scribatur in numero quinque filio-

filiorum à Iureconf. in. l. 2. §. remittit vers. numerum, ff. de excusatio. tutor. ibi. *Numerus determinatus à iure debet esse, cum creantur.* & rursus ibi. *si vnus deficiat non excusabitur.* Igitur ex prædictis, videtur probari ea solutio, quòd quinque pro forma, & regula requirantur: At si de facto multo plures filios quis habeat vt in iuribus supra citatis: honoratissime, & à fortiori munerum quiete donabitur.

23 Sed prædicta [†] glo. resolutio, licet his argumentis à nemine vnquam adductis fulciri possit, & prima facie arrideat, nullo tamè modo potest quadrare. Nam Iureconf. in. d. l. semper vers. demonstratur, bene agnouit numerum quinque, filiorum prodesse patri ad excusationem, vt ex principio text. constat. At verò inferius dicit, *quòd etsi non ab omnibus muneribus dimittat patrem natorum numerus, tamen quia sexdecim. &c.* Igitur videtur aliquam constituere differentiã, & sentire quod aliquando quinque, sufficiant, aliquando etiam sexdecim requiratur, id quod querimus, & in quo tota versatur difficultas. Præterea in dicta. l. si quis decurio videtur etiam constitui regula, quòd duodecim liberi requirantur: alias enim nullum, immò potius ineptum continerent dubium prædictæ decisiones, si de facto
 proce-

procederent: cum nullus potuerit esse tam ignarus, qui non responderit prodesse duodecim, vel sexdecim filios, si quinque; sciebat sufficere: Nec aliquis potuit (mea sententia) circa hoc mouere quaestionem, ut necessum fuerit Iureconsult. respondere in dictis iuribus, quae aliam debet semper seruire de dubio, vulgata. l. quod labeo. ff. de Carbon. edict.

- 24 Hinc est quod glo. in dicto verbo sexdecim: ad aliam transeat solutionem, ut scilicet iura quae quinque requirunt, prestent excusationem in muneribus publicis personalibus, seu corporalibus, quae ciuilia dicuntur: At uero illa quae duodecim, vel sexdecim, procedant in patrimonialibus, à quibus numerus quinque filiorum non excusabit. l. neque de muner. patrim. lib. 10. cum similibus: quam solutionem assignat etiam glo. 1. in. l. 1. C. de his qui num. liber. eodem lib. & glo. in dicta l. si quis decurio quam ibi Pirrus sequitur, & hanc esse ueritatem resoluit Bar. in dicta. l. semper, & Alberic. attestatur hoc uerius credere in. l. 2. in fine principij. ff. de excusation. muner. & in Rub. ff. de munerib. & honorib. num. 17. uers. item tenetur sequitur Guido Papae in quaestione. 401. ubi expresse limitat dictam l. neque;

l. neque non procedere in patre habente duodecim filios.

25. Iuxta quam solutionem^t, vt etiam concilietur dicta. l. si quis decurio, que duodecim filios requirit cum. d. l. semper vers. demonstratur: que sexdecim (predicti omnes excepto Bar.) dicunt, q̄ à patrimonialibus muneribus excusetur pater, qui duodecim liberos habet iuxta. d. l. si quis decurio, dummodo decurio sit, in quo loquitur tex. & id propter officium & laborem decurionatus. At verò, reliqui omnes indistinctè excusari non possint à talibus muneribus patrimonialibus, nisi habeant sexdecim filios, & ita procedat dictus vers. demonstratur: quam resolutionem, & ad ea iura vti optimam concordiam, sequuntur Bal. & alij relati per Cassane. in Consuetud. Burg. Rub. i. §. 4. n. 56. fo. mihi. 37. & illum esse communem intellectum ad ea iura testatur Alberic. in dicta. l. 2. ff. de vacation. muner. vbi in fine principij affirmat, de facto ita vidisse seruari in pluribus ciuitatibus: & illam differentiã inter decuriones, & reliquos omnes, circa patrimonialia, sequitur Guid. Pape vbi supra. las. in. l. sciendum §. si fundum n. 3. ff. qui satisd. cog. deniq; hæc est communis solutio, à qua non est recedendum:

dum: & esse ipsam veritatem testatur Bal. in. d. l. si quis decurio ad fi. licet alij aliter legant dictum vers. demonstratur, quòd scilicet litera sit corrupta, & non habeat sexdecim, sed duodecim, vt in dicta. l. si quis decurio, quo pacto nulla erit contrarietas. Sed cum in omnibus Codicibus sit litera sexdecim: Melior est communis intellectus, & retinendus, interim dum non constat ex originali, vitium illud.

26. Vnde audiendi[†] non sunt qui totum contrarium affirmant, dicentes, nullum liberorum numerum, etiam si sit sexdecim excusare à muneribus mere patrimonialibus, moti per text. in. l. neque de muneribus patrimon. lib. 10. & in. l. Rescripto. §. si quis ibi, *quæ munera patrimonij indicuntur, Nec numerus liberorum, (inquit Iurecons.) nec alia prærogatiua. &c. ff. de muner. & honor. & in. l. 2. ff. de mune. patrim. li. 10. cum similibus: ex quibus ita illud expressit Petrus Antiboli in tract. de muner. & honor. 3. parte principali. n. 12. affirmans in vers. sed quidam, prædicta iura in. d. l. si quis decurio cum dicto vers. demonstratur procedere in muneribus patrimonialibus extraordinarijs, à quibus talis numerus excusabit, & testatur hoc sibi probabile videri.*

Nam

Nam quidquid ille cum alijs dicat, adhuc communis sententia de qua supra probabilior, & planior ad ea iura videtur: vt scilicet à patrimonialibus (nec enim iura de extraordinarijs loquuntur) excusetur quis numero duodecim liberorum, si sit decurio, vel numero sexdecim, si sit priuatus: Cui communi solutioni quadrant verba illa prima facie dura. d. l. rescripto. §. si quis (quæ ita necessario & proprie intelligentur si ad ea verba text. omnino respicias) ibi, *quæ munera patrimonijs iniunguntur. Nec numerus liberorum, nec alia prerogatiua, quæ solet à muneribus personalibus excusare*: ergo manifestè loquitur text. de numero quinque liberorum, qui solet excusare à personalibus. l. 1. & 2. ff. de vacat. muner. cum similibus de quibus supra, quasi sentiens q̄ à patrimonialibus nō excuset. Cum in eis maior numerus, nempe duodecim, vel sexdecim liberorū requiratur vt modo diximus, contra Petrum Antiboli & alios.

27 Qua etiam^t via intelligendus est text. in dicta. l. 2. & in dicta. l. neque de muner. patrimon. lib. 10. si expendas, & vltra omnes ponderes, quòd æquiparat Imperator in dicta. l. neque, numerum liberorum & ætatem septuaginta

ginta annorum, vt à muneribus patrimonialibus non excuset, quoniam intelligenda sunt illa verba, de numero quinque filiorum, vt sentitibi glo. vers. secus, & comprobatur ex text. notabili in simili in l. 2. vers. numerus. ff. de vacat. muner. vbi etiam equiparat Iureconf. numerum liberorum, & ætatem septuaginta annorum, vt excuset à muneribus tantum ciuilibus, & tamen intelligitur de numero quinario iuxta cõmunem, à qua nullus dissentit. Deniq; & hoc etiã modo, aliã omnia iura (si quæ sunt quæ dicant, numerum liberorum non excusare à muneribus patrimonialibus) intelligenda sunt de numero quinq; filiorum, quod & nos concedimus. Vnde in proprijs terminis sui immemor Petrus Antiboli prædicta iura, ita intelligendo allegat in tract. de muner. & honorib. 3. parte principali. §. 2. n. 23. & 25. Nam si quis habeat maiorem numerum filiorum, scilicet duodecim decurio, & sexdecim priuatus, excusabitur vtique à muneribus patrimonialibus, iuxta cõmunem, & verum prædictorum iuriũ intellectum, quem libenter sequimur.

28 Quo etiam retento audiendi non sunt Pirrus in l. in albo in principio de decurion. li. 10. & Ioan. de Platea in l. 1. C. de his qui numer. liber.

liber. eod. libro in principio, dum volunt; &
 quinto loco concordare prædicta iura. in d. l. si
 quis decurio, cum d. vers. demonstratur, ut pro-
 cedant in honoribus, à quibus, numerus duo-
 decim liberorum excusabit: nõ verò numerus
 quinque filiorum, qui muneribus tantum per-
 sonalibus prodest, ut prædiximus. Quam solu-
 tionem iterum assignat idem Platea in dicta
 l. in albo in principio, & rursus in dicta leg. si
 quis decurio à secunda in fine, de decurionib:
 lib. 10. Sed quam falsa in se, & ad ea iura sit illa so-
 lutio: meo, & omnium iudicio clarissimum est:
 quoniam, ut diximus supra. n. 5. si aliquis libe-
 rorum numerus excusaret ab honoribus, privi-
 legium non esset, sed onus: cum nullo iure pro-
 beretur numerum duodecim, vel sexdecim libe-
 rorum excusare ab honoribus; nec eo casu lo-
 quuntur dictus vers. demonstratur, nec d. l. si
 quis decurio, & manifesta est diuinatio: quin
 & falsa solutio: Cum habeamus mille iura pro-
 bantia, numerum liberorum non excusare ab
 honoribus dicta. l. 2. vers. numerus. l. cui mune-
 ris. ff. de muner. & honor. cum similibus: ut af-
 firmat Alciat. vir omni laude dignissimus. in l.
 munus tribus. n. 8. ff. de verb. signif. cuius sola
 Cuius autho-

authoritate, aliorum allegationes excusamus, ne in re tam clara plus innoceamus. Prout nec detinemur, in reprobādis alijs duabus solutionibus ad illa duo iura quas conuincit. Siluest. Aldobran. in principio instit. de excu. tit. n. 50.

- 29 Quibus sic resolutis id solū superest (vt huic articulo colophonem imponamus, & omnia inter se cōueniant) respondeamus tex. in dicta l. 1. de his qui nume. libe. lib. 10. dū litera habet, *numerus liberorum ab oneribus non excusat*. Nam omisis multis solutionibus glo. ibi, & scribentium, quarū partim falsæ, partim diuinatoriæ sunt: nec non & relictis alijs, quæ nimis addunt textui, vt breuius agamus. Melior mihi videtur prima glo. ibi solutio, vt legamus ab honoribus, & non ab oneribus: iuxta quā literā cessat tota cōtrouerfia, & repugnantia, ex his quæ hæctenus diximus. Nec mirum est, si quidem, typographorū incuria potuit facile in eo text. illa litera. H. deficere, vt affirmat ibi Ioa. de Platæa in principio ita summādo Numerus liberorum ab honoribus non excusat: quo sensu sine scrupulo legit Rebus. ibid. & ante omnes Odofred. solutione vltima, & ita esse intelligendam dict. l. 1. testatur Petrus Antiboli in tract. de muner. & honor. 3. parte principali. §. 2. n. 23. in fi. unde numero doctorum hic videtur fre-

quætiior intellectus, planior, quia minus addit,
 & cōsonantiior, si noue consideres, & aduertas
 Imperatorē, in eo tit. de his qui numero liber.
 statim in prioribus iuribus ponere casus nega-
 tiuos, in quibus numerus liberorū nō excusat,
 nēpe ab honoribus, iuxta prædictū. d.l.1. intel-
 lectū. vel si aliquis ex filijs ab hostibus sit cap-
 tus, vt in. l.2. quæ incipit filium: postea verò in
 reliquis iuribus. in. l.3. in. l. cum facultates in. l.
 de personalibus, & in. l. si. eiusdē tit. alios casus
 describit, in quibus numerus liberorū excusat
 affirmatiuè. Secundum quā ponderationē (meo
 iudicio) necessarius est hic intellectus, in se ve-
 rus, & minus addens literę tex. quæ Odofred.
 in. d.l.1. quinq; alias assignet solutiones, vbi in
 vers. vel potes, intelligit literam prouinciat, de
 paucioribus tamen quinq; quo nō citato, idē
 expressit Lucas de Penna ibid. nā licet in se ve-
 rus sit ille sensus, repugnat tamen illius rubricę
 (de his qui numerū liberorū excusationē me-
 ruerunt) intentio, & cōmunis intelligentia: Vt
 cunq; tamen sit, tex. in. d.l.1. non obstabit huic
 nostro priori requisito: dum quinq; filiorum
 numerum duntaxat postulat in patre, vt à mu-
 neribus ciuilibus, & personalibus excusetur,
 nec nom. & a. tutelis: ex iuribus supra citatis.

Ex quibus omnibus resolutiue manet, quod
 quinq; filij, sufficiant ad excusationem mune-
 rum personalium de quibus agimus: patrimo-
 nialium vero libertate donetur decurio, si duo
 decim filios habeat, & priuatus, si sexdecim, ex
 iuribus supra citatis, & ita vere intellectis: qua-
 uis^t multa sint alia munera, à quibus nullus li-
 30 berorum numerus excusat: vt per totum titu-
 lum de quibus muner. vel prestatio: liceat se
 excusare lib. 10. bonus. tex. in. l. si. versu ab huius
 modi. ff. de muner. & honorib. Sed melior in l.
 1. in fine ibi, *Nec sacratissimum nostræ pietatis, nec*
serenissimæ nostræ coniugis domum pateremur subtra-
here. C. vt nemini liceat in emptione specieru
 lib. 10. l. absit de privilegijs domus Augustæ in
 fi. lib. 11. iuncta glo. fin. Notatur in l. ad instru-
 ctiones. C. de sacros. eccles. que a deo vera sunt,
 vt ausus fuerit affirmare: Pirrus relatus per glo.
 in rub. de excusat. muner. lib. 10. se non memi-
 nisse aliquem ab omnibus muneribus excusa-
 ri, in quibus latissimus spatiandi campus sese
 offerebat, sed ea omnia libenter, & consulto,
 silentio premo. *mult. uolunt. p. r. non. q. d. u.*

31 Prædicta^t tamé (que hætenus de excusandis
 parentib; beneficio quinq; filioru desseruimus)
 intelligenda sunt primo, siue liberi sint masculi,
 siue

sive foeminae, casus est in l. si. de his qui nume.
 liber. lib. 10. ibi, *cuiuscumq; sexus liberos quinq; &c.*
 bonus tex. in l. 2. §. remittit, vers. non solum ibi,
filij & filia. ff. de excusatio. tut. ut omittamus
 quae latissime de more Tiraquel. eleganter Al
 ciat. & alij multi, varijs, in locis notarunt circa
 liberorum appellationem, quae quia vulgaria,
 non curamus. Nec aliquis dubitabit, si ad ra
 tionem decidendi, superius resolutam de edu
 catione filiorum aduertat: quae magis militat
 in filiabus: & rursus quia foeminae profunt rei
 publicae ad procreationem liberorum. l. si quis
 C. de natural. liber. Vnde nil mirum si pater
 excusationem quoque mereatur: licet omnes
 quinque sint filiae: & ita firmiter tenendum est.
 quamuis aliquibus rationibus videretur pri
 ma facie contrarium dicendum: de quibus per
 Pirrum in l. in albo. de decurionib. lib. 10. Et
 hodie in excusatione tutelae illud expressum
 habemus Ord. regia. lib. 1. tit. 67. §. 31. ibi, *antre*
machos & femeas. &c. igitur non amplius insista.

32 Secundo^t intellige dummodo omnes quin
 que filij sint iam nati, tempore muneris indi
 cti, & publicati parti. nam si postea nascantur,
 non proficient, casus est in l. 2. vers. qui ad mu
 nera. ff. de vacat. muner. ibi. *Numerus liberorum*

postea impletus, si susceptis antea muneribus non liberat.
 vbi etiam glo. in verbo non liberat plures al-
 legat concordantes. Idq; adeo verum est, quod
 etiam si mater sit pregnant, & habeat quatuor
 filios, quia tamen impletus non est numerus
 quinnarius, ante publicationem muneris, hoc
 priuilegio non iuuabitur pater: casus est etiam
 clarus in. l. 2. §. remittit vers. *Qui autem in vtero
 est* (inquit Iureconf.) *et si multis partibus legis, com-
 paretur iam natis, tamen, nec in presenti questione, nec
 in reliquis civilibus muneribus prodest patri.* ff. de
 excusat. tutor. per quem tex. ita post omnes li-
 bidem affirmat Alberic. in rub. ff. de muner.
 & honorib. n. 17. post vers. item tenentur, nec
 aliquis dubitauit excepto Pirro, qui in. d. l. in
 albo prope finem de decurio. lib. 10. misere
 contra illum text. errauit: deceptusque fuit
 ex reg. text. in. l. qui in vtero. ff. de stat. homin.
*Qui in vtero est: perinde ac si in rebus humanis esset cu-
 stoditur.* inquit Paul. Iureconf. Cui tamen tex.
 Iureconf. in. d. §. remittit vers. qui autem taci-
 re respondet (quod raro reperies) in illis ver-
 bis, *et si multis partibus iuris cōparetur iam natis.* &c.
 iuncta glo. communiter ibi recepta in verbo
 in multis: cuius discriminis rationem sensit
 Paul. in. d. l. qui in vtero in fine: & vtrobiq;

scribentes, & quod magis miror illud est, quod Odofred. & antiquitate & autoritate prior in. d. l. 2. in principio, eodem errore ante Pirrum labatur, nisi fortè litera corrupta sit in eius commentarijs.

33 Dixi superius^t & publicati, quia si post creationem, & electionem, sed tamen ante publicationem factam patri, nascatur quintus filius, ei utique proderit ad excusationem. Ita in praxi iudicatum vidi, in quoddam gravamine Oppidi de Pousios mense Nouembris, anno Domini. 1557. moti fuerunt Regij Senatores argumento glo. communiter receptæ in verb. cognouerunt. in. §. qui autem institut. de excusation. tutor. dicentis electum semper præsumi ignorare electionem, ante publicationem eidem factam. Et adiuuatur ex eodem texto dum inquit quòd *intra quinquaginta dies ex quo cognouerunt se esse tutores debent se excusare.* Igitur si post publicationem incipit tempus excusationis, & non post electionem, tempore autem publicationis legitimam habebat iam causam: consequens est, vt mereatur excusationem. Moti etiã fuerunt ex his quæ tradit Ioannes de Platea in. l. si ultra de decurio. lib. 10. Et Angel. in. §. item diuus Marcus institut.

d. excusatio. tutor. quæ decisio (meo iudicio) iusta, & pia videtur, & summa cum ratione ita iudicatum fuit: ex eo præcipue quia militabat iam ratio æducationis, & alimentorum: & ex eo etiam quòd eo casu summi non poterat sinistra aliqua fraudis suspitio, quæ si daretur
 34 & posset fieri (vt communiter fit, quòd ante publicationem, post electionem summa cum diligencia negociatur quis aliquod priuilegium quo possit ab indicto munere se excusare) tunc vtique sine dubio (si de hoc constiterit) consulerè non prodesse: prout & mensè præterito, iudicatū vidi, in quoddam priuilegiato ex indulto concessio Diuæ Catharinæ de monte Sinay, Oppidi de Torres nouas: qui cum electus esset ad munus Receptoris, fraudulenter ab eius diuæ Confratribus priuilegiū sollicitauit, quòd excusaretur ab indicto iam munere: Fraus autem deprehensa fuit manifeste, ex tempore factæ electionis, & priuilegij concessi. Ex quibus, concordì rei fiscalis grauissimorum Senatorum voto, iudicatum fuit, vt ab eo munere talis electus non excusaretur: abhorret enim huiusmodi fraudes vtrunque ius. c. quanto de diuort. l. fraus. ff. de. legib. bonus casus in. l. 4. cum. l. seq. ff. ex quib. caus. maior.

maior. Quas tamen fraudes si demus omnino cessare, quia patri iam electo ad aliquod munus, nascatur ante publicationem quintus filius: priuilegium istud filiorum causa, tanquam fauorabile, ad hunc quoque casum extendendum est, licet dura nimis videantur Iurecons. verba in. l. 2. vers. numerum in fi. ff. de excusat. tutor. dum habent, *Numerum autem liberorum, determinatum constitutionibus esse oportet vnicuique, tunc, cum creantur. Nam etsi post creationem nascantur non auxiliantur.* vbi solus Alber. notat, ex verbo *creantur*, quod tempus datae est attendendum. Nisi fauorabiliter (vt equum est) intelligamus de creatione publicata, quia tunc dicitur tempus datae: argumento. tex. in. l. 2. vers. qui ad munera ibi, *re tempore quo.* ff. de vacat. muner.

35 Intellige tertio[†] dummodo omnes quinque filij sint incolumes, nam si aliquis eorum mortuus iam sit, patri neuiquam proficiet, tex. est clarus in. l. 2. vers. qui ad munera. ff. de vacat. muner. *Qui ad munera vocantur, viuorum se liberorum numerum habere, tempore quo, propter eos excusari desiderant, probare debet.* id quod etiam significat inferius in vers. *Incolumes liberi*, bonus tex. in. l. ad excusationem munerum defunctus filius non prodest. ff. eodem tit. l. 3. §. quamuis vers. cura ibi

vel numerus quinq, liberorum incolumium, & in. l. cura in principio. ff. de munerib, & honorib. Quin & in tutela quoque, idem probat. text. in principio institut. de excusat. tuto. ibi defun. Etiautem ncn profunt, & ibi, superstites. &c. Melior tex. in. l. 2. §. remittit. ff. de excusat. tuto. ibi, qui enim antea decesserunt, his non connumerantur: cum mille similibus. Ex quibus iuribus, idem resolunt Bar. in. l. 2. §. non solum. ff. de excusat. tut. Alex. in. l. si cum dotem. §. si maritus. ff. solut. matr. & neruose defendit Alciat. regula prima, præsump. 36. n. 2. cum seq. & nouissime Siluest. Aldobrandinus in principio institut. de excusat. tuto. n. 15. At verò Ioan. And. ab origine rem hanc confundens viginti argumentis, nititur oppositum probare: quòd scilicet immunitas patri concessa propter filios, duret etiam mortuis eisdem filijs: cuius opinionem sequuntur quidam relati ab additione Bar. in. l. semper in principio. ff. de iure immunitat. multi, vt per Cassane. in consuet. Burg. rub. 1. §. 4. n. 57. vers. & aduerte, & eam veriozem esse, & communè, testatur pleriq;, cumulati ab additione magna Alcia. vbi supra: & infiniti alij p Tiraq. in tract. cessante causa limitatione. 4. n. 10. cū trib. seq.

36 Ego autem[†] ne isthæc omnia (vti doctores faciunt)

faciunt) confusione obtruan, & vt eorum aper
 ra contrarietates conciliantur, rem hanc per
 tres digeram conclusiones.

Prima conclusio. Mortui filij sine dubio pro
 sunt patri, quando lex, vel testator, incertū, vel
 etiam certū liberorū numerū requirit, sine cer
 ta tamen præfinitione temporis: Moueor ad
 hoc, argumento tex. not. in l. cū vxori. C. quan
 do dies legat. ced. cum vxori vsus fructus fundi le
 gatur, & eius proprietatis dies legati cedit: Nec quitquam
 obest si is decedat (inquit Impe. in fi. verbis) nota
 tur in l. ex facto. §. si quis autē. ff. ad trebel. & fa
 eiunt multa quæ in simili cumulat more suo
 Tiraq. vbi proxime, limitatione. 4. r. r. Idq; me
 ritō factū est, quia licet filij postea moriātur, te
 statoris tamen voluntas, atque legis intentio
 adimpletur per solam liberorum susceptionē,
 in hac specie: in qua loquuntur aliqua Ioan.
 And. argumenta vbi supra:

Secunda conclusio. Mortui filij post publicā
 tum munus, vel delatā tutelā, proficiunt ad il
 lud idē munus iam delatū: casus est ita necessa
 rio intelligēdus. in l. 2. §. remittit ibi, nec rursus
 nocēt q postea moriūtur. ff. de excu. tut. qā cū tēpo
 re muneris indicti, & publicati, haberet quinq;
 filios,

filios, & ea de causa proposuerit grauamen ab illato munere, verum est dicere illum fuisse grauatum, quoniam eo tempore legitimam habebat excusationis causam, licet pendete lite vnus ex filijs, vel duo moriantur, ita resoluit Bar.in.l.2.§.non solū. ff. de excusat. tutor. Ias.in.l. sciendum.§. si fundum, ex.n.3. ad.14. ff. qui satisd. cogatur: in qua specie loquitur Dec. in reg. in omnibus causis id obseruatur.n.17. ff. de reg. iur. & ferè omnes relati ab additione Bar.in. d. l. semper, & plures alij per Cassan. dicto loco. Et hoc casu procedūt fortiora Ioan. Andr. argumenta vt & ipse in fi. se declarat: & ita ex sententia Bal. & Rip. quos refert, concludit Tiraquel. dicta limitatione. 4.n.13.

Tertia conclusio. Filij antea mortui, nullo modo præstant patri excusationem à tutela, vel munere de nouo deferendo, postquam filij decesserunt: casus in. d. §. non solum, ibi, *qui enim antea decesserunt, his non connumerantur.* text. in. d. l. ad excusationem cum similibus citatis superius in principio: quo casu loquuntur Alex. & Alcia. d. loco, Ias. & alij in dicto. §. si fundum. Concordat & post alios Tiraq. dicto. n.13: vbi n.11. refert idem statuto Bononiæ caueri. Nec ista ratione carent, quia nouis tutelis, vel muneribus

neribus delatis, nouis debet vnus quisque al-
 legationibus vti: ex sententiâ Iureconf. in. l. spa-
 donem. §. qui absolutus. ff. de excusat. tutor.
 Item quia ratione educationis, & alimentorū,
 desiderant Iureconf. filios incolumes, tempore
 quo munus indicitur: vt probatur ex tex. in. l.
 2. §. qui ad munera cum similibus, de quibus
 supra. ff. de vacat. muner. Qua ratione constat,
 priuilegium istud non fuisse solum patri que-
 situm, eo quod ipse fuerit: utilis rei publicæ, ex
 tot liberorum procreatione: quo argumento
 & alijs æque friuolis decepti fuerunt, citati
 per additionem Alciat. & Casan. & alij omnes
 qui generaliter affirmarunt, durare indistinctè
 priuilegium istud patri mortuis: filijs: eorum:
 nanque communis error manifeste deprehē-
 ditur ex prædictis.

37 Verumtamen id quod hactenus diximus,
 notabiliter limitandum est primo, nisi loco fi-
 liorum mortuorum succedant nepotes, qui
 numerum istum requisitum adimpleant: idq;
 si sint in potestate, & gubernatione aui, tunc
 enim eidem præstabunt excusationem loco fi-
 liorum, casus est in. l. 3. C. de his qui numer. li-
 ber. lib. 10. *Nepotes (inquit Imperator) in locum
 parentum succedentes, vice eorum, prodesse consueue-
 runt,*

runt: ideoq; si quinque liberorum numerus, ex amissionum filiorum nepotibus suppletur: à muneribus personarum, is, quem patrem tuum esse dicis iuxta constituta excusatur. Similis text. in principio vers. item nepotes, ex filio profunt, ex filia non profunt. institut. de excusat. tutor. Ex cuius text. declaratione, necessario ita est intelligendus text. in dicta. l. 3. vt nepotes, ex filia non profunt auo materno, quia cum debeant prodesse auo paterno, non possunt duobus tribuere excusationem: quam rationem scripsit Ioannes Faber. in principio de excusation. tutor. quo non citato idem dixit Rebuf. in. d. l. 3. & hanc vti notabilem differentiam posuit Ioannes de Platea, in. d. l. 3. vers. est tamen differentia: quæ quidem melius probatur. in. l. 2. §. remittit vers. 38 non solum [†]. ff. de excusation. tutor. vbi Iureconsul. mirabiliter omnia prædicta. declarat, dummodo tales nepotes, sint tot numero, quot erant patres eorum, computatis omnibus, ex quolibet filio, pro vno duntaxat: cuius text. verba, quia rem clarius indicant, ita habent. Non solum remissionem tutelæ tribuunt; filijs, & filiæ, sed etiam nepotes ex filijs masculis natis masculi, & femineæ. Auxiliantur autem, tunc, quando patre eorum mortuo, illius locum suppleat auo,

(&

(& subiungit Iureconf.) quocumque autem nepotes fuerunt, ex illo filio, numerantur pro vno filio; ex quibus verbis satis apertis ita iure communi cautum est, vt deducit glo. in verbo amissorum in d.l. 3. vbi omnes communiter ita declarant, & in principio instituti de excusat. tutor. vbi eius rei rationem, eleganter expendit Aldobrandinus. n. 31. latè Petrus Antiboli, in tract. de munerib. 3. parte principali. §. 2. n. 25. & 26. nec in hoc, iure communi attento dubitandum est, sicuti iam hodie in praxi, dubitationi locus non relinquatur, ex Ord. Regia, quæ totum contrarium disponit, lib. 1. tit. 67. §. 31, quo loco non requirit, quod sint nepotes ex filio masculino, nec quod omnes ex quolibet filio numerentur pro vno, vt manifestè ostendunt verba illa; *ou teuesse cinco netos, filhos ou filhas* (in quo consonat iuri communi) *dalgun seu filho* (corrigit ius commune) *ou filhos, ou filha, ou filhas ja finados*, corrigit etiam, prout satis constat ex dicto vers. non solum. §. remittit. l. 2. ff. de excusat. tutor. quæ omnia cum & vsu hodierno sint recepta, non licet amplius immorari nisi quod ex eadem Ord. dicto. §. 31. iuncta ratione, nostri huius tertij requisiti de quo inferius. n. 57. hæc omnia intelligenda sunt;

dummo-

dummodo auus, habeat omnes quinque nepotes in potestate & gubernatione sua, non alius cuius rei rationem à. DD. omiffam descripsit (iure communi attento) Aldobrandinus d. num. 31.

- 39 Secundo † id quod superius diximus, quod mortui filij non profunt, limitandum est etiam notabiliter, nisi vnus, vel omnes quinque, mortui sint in bello: tales etenim, patri quoque præstant excusationem: casus est in. l. si. ff. de vacatio. muner. vbi Iurecons. constituens regulam illam, de qua supra, quod mortui filij non profunt, subiungit, *præterquam in bello amissi*, bonus tex. in. l. bello amissi. ff. de excusat. tut. Sed melior in principio vers. sed si in bello institut. eodem tit. vbi in vers. hi enim, reddio Iustinianus rationem, *quia qui pro republica ceciderunt, in perpetuum, per gloriam viuere intelliguntur*. Eandem rationem iuuat & in argumentum text. elegans in. c. omnium ibi, *in hoc belli certamine mortuus fuerit, Regia illa cælestia minime negabuntur*. 23. q. 8. & facit quod aliàs Poëta dicit, fac bene dum vis, post mortem, viuere si vis: refert Albericus in dicta. l. bello amissi in fine: & hic omitto quamplura alia, quæ ex Quintiliano, Cicero-
ne, & alijs bonis authoribus adducit in eius ra-
tionis

tionis comprobationem Siluest. Aldobrand. in principio de excusat. tut. n. 10. Cum igitur tales viuant per gloriam, nil mirum si Iura patribus prodesse statuerint. quod & Ord. (in hoc iuri communi conformis dicto li. 1. tit. 67. §. 31.) expressit in si. verbis ideo non insisto.

40. Tota nanq; dubitatio[†], & grandis adest difficultas (in qua paululum immorari liceat) an idem dicendum sit, de illis filijs, qui non in acie, nec in ipso belli conflictu, statim moriuntur: sed ibidem lateraliter vulnerati, in castris postea decedunt. videbaturque prima inspectione dicendum, hos etiam patri proficere ad excusationem, cum & isti per gloriam viuere dicantur quia causa belli, & ex vulneribus ibi illatis decesserunt. Ad quod adducitur per omnes text. in. l. 1. §. ex incendio vers. quemadmodum. ff. incendio ruin. & naufrag. vbi Iureconf. Ulpianus quæ situs, an ædicto locus esset, si non ex ipso incendio, sed ex ea causa, aliquid rapiatur, respondit: Ædicto locum fore, quia verum est ex incendio, rapi: Sequitur, & facit exemplum, quo Iureconf. utitur, *quemadmodum* (inquit) *solemus dicere in bello amissum quod propter causam belli amittitur*, ex quibus verbis, decisa videtur nostra hæc dubitatio, vt. l.

D vulnerati

vulnerati in bello, & postea mortui profint patri ad excusationem, quia causa belli amittuntur, & in bello dicuntur amissi. Sed ultra [†] omnes pro eadem parte faciunt, & alia neruosis-
 41
 sima argumenta: inter quæ accedat secundo celebris Alexan. resolutio. n. 8. & Ias. num. 9. in l. licet. C. de pact. dum affirmant, quod priuilegium datum militibus existentibus ad belli discrimen, intelligitur etiam de existentibus in castris: de qua, licet dubitet Angel. & Salyc. ibi, eam tamen resolutionem sequitur doctissimus Alciat. ibidem. n. 19. & 20. veram & communem testatur expresse Curt. Iunior. col. 2. in dicta. l. licet, Igitur fortiori ratione videtur dicendum, in nostro casu: quoniam in bello tandem fuerunt vulnerati, licet in castris decesserint. Tertio pro eadem sententia facit: nam par conceditur priuilegium, eunti ad prælium, & remanenti in castris, vt iure diuino cautum legitur libro primo Regum, cap. 30. *prope finem ibi, æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident.* postea verò dicit text. *quòd factū est hoc; ex illa die, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc.* Ergo à fortiori æqua erit pars, mortui in castris ex vulnere illato in bello.

Præterea & quarto loco opitulatur, quoniã bellum appellamus, totum illud tempus, quo, in militia, atq; expeditione sumus, teste Vegetio in tertio de re militari. cap. 14. Valerio Maximo & alijs in quinto memorabilium cap. 6. Ex quibus omnibus quæ fortiora sunt (omissis alijs vulgaribus) satis videtur dicendum, quod sicut filius mortuus in bello prodest patri ad excusationem: ita etiam, mortuus in castris, ex vulnere illato in bello: idq; probabiliter affirmari posse testatur Ioannes Faber in. §. sed si in bello institut. de excusat. tut.

42 Quæ omnia^t argumenta, licet vnumquenq; mouere possent. Audi tamen verba Iureconf. clarissima, qui (eademmet proposita ei quæstione) totum contrarium sine dubitatione respondit in. l. bello amissi. ff. de excusat. tutor. *Quæsitum est (inquit) qui sunt isti, vtrum hij, qui in acie sunt intercepti, an vero omnes omnino, qui per causam belli parentibus sunt arrepti, in obsidione forte: Melius igitur probabitur, eos solos, qui in acie mbriuntus, prodesse debere: hij enim pro republica cæciderunt.* Ex quibus verbis ita resoluunt omnes ibidem, & in principio institut. de excusation. tutor. vbi Nicasius oppos. finali, reddit rationem, quia fauore pupillorum quorum

D 2 interest

interest tutores habere, id ita licet rigurosum statutum fuit, quam rationem assignat etiam Ioannes de Platea ibi. n. 4.

Sed profecto licet Iureconf. verba, clara videantur, nulla tamen (ni ego fallor) sufficienti ratione fulciri videntur. Nemo est enim qui neget, magis faueri existentibus in bello quã pupillis, iuxta notata in. §. itẽ qui reipublicæ institut. de excusat. tut. & in. l. Sed & milites per text. ibi. ff. eodem tit. ex eo quia in causa belli vertitur utilitas publica principaliter, in causa verò pupillorum, secundario. Nec ratio Iureconf. in. d. l. bello amissi, quòd scilicet illi tantũ pro republica ceciderunt, concludit, immò nobis fauet: cum inficiari etiam nemo possit, & istos quoq; pro republica cecidisse qui in acie vulnerati, postea in castris decesserunt. Atq; ita reperio quòd Siluest. Aldobrand. in dicto principio de excusa. tut. n. 40. hanc opinionem contra cõmunem tanq̃ humaniorem tenendã existimat. Minus quoq; valet altera. Ias. ratio in additio. ad Porcium in principio de excusat. tut. in vers. nota propter Armigeros, dicentis, q; ideo tales filij vulnerati in bello, & mortui in castris non profunt patri, quia concurrerent due fictiones quæ in iure non permittuntur. l. i. cum

cū materia. C. de dot. promiss. Prima fictio est, q̄ locus mortis, trahitur ad locū vulneris, & sic fingitur mortuus in bello, qui moritur in castris. Secūda foret, q̄ fingeretur viuere p̄ gloriā qui mortuus est per naturā. Nā respondeo istā quoq; rationem petere principiū, id enim est quod quærimus quare iste talis vulneratus in bello, & in castris mortuus, nō fingatur viuere per gloriā, sicut mortuus in ipso belli cōflictu: in quibus videtur eadē ratio ex superius adductis: in hac præsertim specie, in qua fictiōes istę, quas Ias. præsupponit, nō sunt inuicē repugnantes, imò vna, ab alia depēdet: data enim prima fictiōe, q̄ mortuus in castris fingatur mortuus in bello, sequitur alia quę superiori nō aduersatur, q̄ per gloriā viuere dicetur, atq; ideo nō est incōueniēs, q̄ vtraq; cōcurrāt: quę cōsideratio notabilis est, & noua, quā in materia fictionū scripsit vir doctrina rarus, venerādus nūc, & olim Præceptor meus D. Barthol. Philip. in subtilissimo fictionū tractatu. 5. parte. c. 4. vbi duas fictiōes eo casu cōcurrere nō posse merū esse sōniū, cōtra vulgi sentētiā cōpbat. & attestatur.

Ex quibus omnibus, exorbitans videtur, dictę. l. bello amissi decisio. Nisi forsā (vltra omnes) intelligamus Iurec. ibi, loq̄ de mortuis in

castris, vt ponit exemplum, ibi *in obsidione forte*, non verò de vulneratis in bello & mortuis in castris: prout perperam ex eò tex. omnes communiter notarunt, & intellexerunt. Nā cū illo casu obsidionis minor sit ratio, cum & mulieres, infantes, & inhabiles in obsidione insimul moriantur, & sine gloria: nil mirum si eo casu mortuos filios non prodesse patri, Iureconf. responderit, & merito: quod forsan non decideret, in vulneratis in bello, & mortuis in castris, de quibus inibi nullum verbū: & in quibus eadem omnino est ratio ex superius adductis. n. 40. & 41. vt cunque tamen intelligas, siue cum communi, siue vt modo diximus, (ne plus immoremur) illius. l. bello amissi decisio, corrigitur hodie, ex Ord. regia li. 1. tit. 67. §. 31. ibi. *Posto que nam fossen viuos, se elles, ou cada hū delles morreram em auto de guerra, ou hindo pera ella em noſso seruiço, estes que assi morreram seram contados pera excusar o dito pay &c.* Quæ Ord. cum tam clara sit, sine dubio obseruanda est: & à fortiori, in proposita specie, quando in bello vulneratus postea decedit. Immo & in eo sortiatur locum, qui in obsidione mortuus fuerit: cum ex illis verbis, *ou hindo pera ella*, itinerantes etiam comprehendantur quod minus est.

43. Sed non minor^t adest dubietas, & in hac materia non minus utilis, quàm quotidiana. Vtrū in hoc quinque liberorum numero, computandi sint filij ab hostibus capti, vt patri præstent exculationem de qua agimus. Nam si ad præcedentem Vlpiani responsionem. d. l. bello amissi aduertamus, clarior est solutio negativa per argumentum à fortiori, vt scilicet non profint. Multoq; minus dubitabit, qui in eadem specie respondētem viderit Imperatorē, in. l. filium. C. de his qui numer. liber. lib. 10. *filium ab hostibus captum (in quit tex.) ac nec dum reuersum, ad excusationem munerum personalium patri proficere non posse magis placuit: vbi omnes id pro constanti asseuerant, & in dicto principio de excusat. tut. & in dicta. l. bello, prout indubitatē proponit Clāudius Cothoretis libro. 2. de iure militum, cap. 3. in fine.*

Ego verò, non possum equidem huic decisioni acquiescere, veluti nec superiori. Nam si Iurecōs. ratione naturali, & efficaci mouentur, eaque solum, nituntur eorum decisiones: isthæ (meo iudicio) ea penitus carent. Quis enim dixerit captum in bello, non fuisse in seruitio Reipublicæ? quis talem, si non maius, æquale saltem præmium cum mortuis nō mœ-

reri? Imò verò si rectè iurium mentem intuea-
 mur, qui capti sunt multo deterius mortis ge-
 nus subire dicuntur. l. nec nos: C. de captiu. &
 postlimin. reuers. in fine: sintq; testes qui suo
 malo huius mali ex partes fuerunt: iuuât mul-
 tæ antiquorum historix, quibus constat olim
 grauisimè in captiuos, & crudelissimè animad-
 uerti, vt breuiter resoluit Claudius Cothoreus
 li. 2. de iure militum cap. 24. col. 3. lit. A. faciunt
 & alia multo maiora priuilegia, quæ captiuis
 cōceduntur ex. l. 28. nulli: & in. l. 37. si quis C. de
 Episco. & cler. Deberet igitur, & hoc etiã, de
 quo agimus concedi, & eo maxime, quia si iste
 pater habet quinque filios, & priuilegio iuris
 vitur ad excusationem: maiori cum ratione,
 eo deberet potiri, & à muneribus publicis ex-
 cusari si aliquis ex filijs sit captus: vt eum citius
 44 possit[†] redimere publicis muneribus exēptus:
 & pro eius redēptione laborare, ad quam de
 iure obligatur. l. liber captus C. de captiu. &
 postlimin. reuers. resoluit Bar. in. l. stichus in
 fine. ff. de pecul. legat. Bal. in. l. sed & ideo. ff.
 solut. matrim. idem Bal. & omnes in Auth. si
 captiu. C. de Episcop. & cleric. & nouissime,
 repetentes in. l. frater à fatre. ff. de condit. in
 debit. Idq; adeo vt iustam esse ex hæredatio-
 nis

nis causam, si pater filium captiuum non redimat, expresserit post ius commune Ord. Regia lib. 4. tit. 73. §. antepen. Præterea, facit & contra prædicta, quoniam qui ab hostibus captus est, fictione iuris ab esse non videtur. l. absentem ff. de verb. signif. tex. notab. in. l. si necem, vers. si libertus. ff. de bon. libert. & in. l. lege cornelia. ff. de testam. igitur tanquam præsens, patri non debuisset talis captus obesse. Et reperio, quòd solus Nicolaus de Neapolis in principio de excusat. tutor. vt ibi refert Ias. in additio. ad Portium in vers. an vulnerati, miratur valde decisionem illius. l. filium: quæ tamen cum totum contrarium disponat, nec congruam patiatur solutionem, negari nõ potest, nisi quòd iure communi attento, tales filij capti, nullo modo proficiant patri ad excusationem: nec in requisito numero computantur. Quamuis hodie crediderim, ex his quæ hactenus adduximus, tales captiuos proficere patri ex Ord. Regia dicto. §. 31. lib. 1. tit. 67. per argumentum à fortiori, cum mortuos in itinere (quod minus est) prodesse sine dubio voluerit. Item quia non reperitur congrua diuersitatis ratio, inter mortuum in bello, & captiuum, vt ex seq. apparet.

45 Quibus sic breuiter[†] agitatis, solum superest videamus (iure communi attento) quænam sit ratio diuersitatis, inter vtrunq; casum: scilicet, inter mortuum in bello, & captum apud hostes. Cur magis taliter mortuus præstet excusationem, captus verò neutiquam.

Et Bar. in. d. l. bello amissi. ff. de excusat. tut. ex sententia Oldrad. dicit, quòd ideo est, quia statuta non recipiunt interpretationem extensiuam. Igitur cum iura hoc priuilegium solummodo in bello mortuis concedant, non debet extendi ad captos. Sed hæc ratio Bar. non soluit difficultatem & petit principium: id enim quærimus, qua ratione iura hoc voluerint.

Quo etiam morbo laborat alia & secunda Alberic. ratio in. d. l. bello, dicentis: quòd hoc sit speciale fauore pupillorum, ne lata via pateat excusationibus tutelarum: vnde nimirum, si priuilegium hoc excusationis restrictum sit ad eos tantum, qui in acie moriuntur. Præterea & corrui, quia (vt superius diximus) magis fauetur existentibus in bello, quàm pupillis: Igitur fauor pupillorum non debet impedire, vt existentes. & capti in bello, non prosint patri ad obtinendum priuilegium istud à iure

iure concessum propter quinque filios.

Quare tertio loco Ioan. de Palatea in dicta l. filium, post Odofred. & Nicolaum de Neapolis, quos sequitur Aldobrandinus in principio de excusat. tutor. n. 41. eam esse discriminis rationem attestantur: quia filius captus apud hostes, non potest subire munera pro patre: propter quam rationem, patri, filiorum causa data fuit hæc immunitas. Sed nec ista ratio satisfacit, quoniam ea non est genuina ratio, nec finalis illius decisionis. Sed alia, quam latius iam superius probauimus. n. 11. & 14. cum seq. scilicet propter filiorum æducationem, & onus: Cæterum non video, quodnam maius considerari possit onus, quam proprium filium habere apud hostes captum.

*Judicet expertus, qui talia vulnera quando
Pertulit: atque suum, nunciet ipse malum.*

Deinde contra istam solutionem Plat. stat eadem ratio, quia nec mortuus in bello potest seruire, nec pro patre munera subire, & tamen præstat excusationem, ergo non redditur ratio diuersitatis de qua quærimus.

Quarto loco Petrus Antiboli in tractat. de muner.

60 TRACT. DE EXCVS. PAREN.
muner.& honorib.3.parte principali.n.13. senti-
tiens difficultatem, soluit:quòd ideo filius ca-
ptus non præstat excusationem patri, vt pater
sit magis curiosus de redemptione filij, vt li-
ber factus cum alijs quatuor filijs eidem pro-
ficiat:quasi dicat,quòd idem priuilegium con-
cederent iura filijs captis, sed quia fauorabi-
lius eis erat,vt citius redimerentur à patribus,
ideo ita constitutum fuit. Sed quàm friuola
sit hæc ratio, nemo est, qui non videat. Nec
Iureconsul. tam tenui, & fragili ratione mo-
ueri credendum est. Nam quis dixerit patrem
persuaderi posse magis ad redemptionem pro-
prij filij, intuitu interesse particularis, quàm
amoris interni? quo non reperitur maior te-
ste Iureconsul. in. l. isti quidem in fin. ff. eo.
quod met.causa & Imperat.in.l.fi.in princi.C.
decurat. furiosi. Præterea eadem ratio,vt sci-
licet sit magis curiosus pro eius redemptio-
ne,conuincit liberandum fore patrem à mu-
neribus publicis, quo maior dari possit oc-
casio negociandi libertatem filijs. Imò ea
de causa tantum, debuissent iura tribue-
re patribus munerum ciuiliū vacatio-
nem: non verò à iure concessam, ob quin-
que filiorum numerum, omnino tollere,
quia

quia vnus ex illis duntaxat sit captus.

Quinto igitur loco Rebuf. in dicta. l. filium C. de his qui numer. liber. lib. 10. aliam scribit rationem, scilicet quòd ideo mortuus in bello, præstat patri excusationem, non verò captus ab hostibus: quia ius patriæ potestatis, est in suspenso, nec interim dicitur esse in potestate patris. text. est in. §. si ab hostibus, vers. ipse quoq; filius, institut. quib. mod. ius patriæ potestatis. solu. Sed ista ratio frigidior est cæteris. Nec soluit difficultatem, immò præsupponit falsum: cum nil ad rem faciat, esse, vel non esse in potestate: quia licet talis captus non sit in potestate nil tamen iure communi oberat, quo minus præstaretur patri immunitas ista, eo enim attento non requirebatur, quòd isti quinque filij (de quibus agimus) essent in potestate ex tex. claro in. l. 2. vers. incolumes ibi; *et si in potestate patris desierint esse.* ff. de vacat. muner. cum similibus: citatis supra. n. 10.

Quare idem Rebuf. in dicta. l. filium prope finem ad aliam & sextam transit. solutionem, dicendo: quòd ideo captus in bello nõ præstat patri excusationem; mortuus verò in bello sic: quia qui in acie moritur, constat ministerium reipublicæ exhibuisse: quod non ita facile constare:

stare potest, de eo qui ab hostibus fuit captus: quoniam potuit esse captus sua culpa. l. postliminio carent cum ibi notatis. ff. de captiu. & postlimin. reuers. Sed isthæc ratio, licet prima inspectione arridere videatur: falsa tamen est, & (meo iudicio) reijcienda. Si enim vera esset, sequeretur necessario quod bene & legitime captus in bello, nullaque prorsus eius culpa, prodesset patri: quod tamen affirmare tutum non est ex generali decisione. d. l. filium. Præterea, quia (vltro id, quod nemo præsumatur captus sua culpa iuxta ea quæ notarunt scribentes in dicta. l. postliminio) licet sua culpa fuisset captus (quod fortius est) non ideo perdit priuilegium alijs legitime captis concessum, glo. sing. in. c. sacrorum. 12. quæst. 1. quam multi sequuntur relati per Palac. in Rep. Rub. §. 78. numer. 30. & plerique alij quos consulto omitto, igitur alia quærenda est ratio.

46 Vnde septimo[†] loco Montanus in. §. sed si in bello, in fine institut. de excusat. tutor. id voluntati tantum Imperatoris tribuit: quasi dicat, confugiendum fore ad rationem. l. non omnium. ff. de legib. Et meo iudicio (vt & superius iam admonui) prædictæ decisiones dicuntur. l.

ctæ.l. bello amissi & dictæ.l. filium, adeo sunt exorbitantes, vt credam nullam aliam reddi posse probabiliorem rationem, excepta ea, quam Iureconf. videtur sentire in dicta. l. filium in fine in illis verbis (*magis placuit*) quæ mihi quidem placere nullo modo potest ex superius dictis. Nec in alia inuestiganda amplius immoramur : cum ex Ord. Regia dicto libr. 1. titulo. 67. §. 31. totum contrarium: à fortiori disponatur in casu. illorum iurium: quorum decisiones ex ea sine dubio corriguntur hodie.

Ex quibus omnibus (vela iam colligendo) superest resolutiue declaratum hoc nostrum prius requisitum: quod scilicet requirantur quinque filij ad hoc vt pater excusetur à muneribus publicis personalibus & civilibus. Id ad calcem breuiter duntaxat adiungo.† Quare Iureconf. & Imperatores, magis quinque, quàm alium maiorem, vel minorem numerum arbitrati fuerint: Et respondendum est cum Siluest. Aldobrandino (qui solus de hoc dubitat in principio instit. de excusat tutor.) non posse huius rei reddi rationem, cum prohibito voluntatis à Iureconf. hoc factum fuerit: vt aliàs, insimili respondit Vlpianus in. l. i. §. 1. ibi,

ibi, *Ratus est*. ff. de postul. vbi glo. in verbo. Ratus dicit hanc esse mirabilem rationem, quæ redditur de omnibus quæ sunt depositiua iustitia. Sed quia causam huius voluntatis licet coniecturare vt aliàs in simili notat Gomes. latissime in regula de trienali. q. 1. ea forsan fuit: quia numero impari gaudet Deus, inferis verò paria: vt aliàs dicit Poëta in Georgicis. Et præstantiorem[†] esse numerum impar, multis probat Gomes vbi supra, latissime Cassan. in Cathalogo gloria mundi. 10. parte, consideratione. 37. bonus tex. in. c. nuptiæ. 32. q. 1. vers. vnde qui in arca ibi, *impar numerus est mundus. &c.* faciunt quæ eleganter tradit Clitoveus in lib. de mystica numerorum ratione: & quæ latè Lucas de Penna in. l. nepotes in principio. C. de his qui numer. liber. lib. 10.

Sed cur magis iste impar numerus fuerit quinnarius, quàm ternarius, vel septenarius: eleganter respondendum est cum Cælio Rodoginio lib. 12. antiquarum lectionum cap. 10. vbi de laude istius quinnarij numeri agit, eum numerum, simul omnia supera, & diuina designare: & eorum numerum quæ sub sensu cadunt, quinnarium esse: vnde itidem factum est, vt sensus duntaxat quinque sint, vbi alia multa no-

ra notatione digna aducit circa istū quinariū numerum. Ego addo, ex eo maximè comédandum esse hodie istum numerum: scilicet; propter eas quinque sacratissimas Saluatoris Domini nostri Iesu Christi Plagas vt Deuote considerat Titelmanus in tractatu expositiōis misteriorum missę cap. 17. Et hactenus de hoc primo requisito.

Sequitur secundum requisitum scilicet.

QVOD SINT LEGITIMI ET NATVRALES.

Cuius requisiti probationem cū superius scripserimus. n. 9. ideo in memoriā sufficiat reducere tex. in princ. de excusat. tutor. vers. Sed adoptiui liberi non profunt &c.

49 Diximus[†] vero legitimi & naturales copulatiuè: quia nec solū naturales profunt, nec solū legitimi, vt adoptiui: prout resoluit glo. cōmuniter recepta in verbo legitimos in: l. 2. §. remittit. ff. de excusat. tutor. Cui similis in verbo quinq; in. l. nepotes. C. de his qui numer. liber. lib. 10. quam ibi sequitur Platea. n. 1. & in. l. 1. in fine eodem titulo. & communiter omnes in principio vers. sed adoptiui, institu. de excusat. tutor.

tutor. idq; verum esse manifeste cōvincitur ex statim referendis.

50 Primo^t etenim legitimi tātū (quos adoptiuos appellamus) nō proficiunt patri adoptāti ad excusationē. Casus est in principio institut. de excusat. tutor. in vers. *Sed adoptiui liberi nō profunt* & in. l. 2. vers. *adoptiui. ff. de vacat. muner.* vbi omnes cōmuniter adnotarunt. Dec. in cōsi. 399. n. 4. & faciunt infinita quæ congerit Tiraquel. in. l. si vnquā verb. *susciperit liberos. n. 3. & 4. cum seq. & in tractat. de iure primogeni. q. 84. p. totā.* Cuius rei triplex assignatur ratio. Prima, quia cum adoptiui filij nō sint in potestate adoptātis, (nisi cum auus maternus eos suscipit in adoptionē iuxta nouā dispositionē. §. *Sed hodie institu. de adoptio.*) iustū nō est vt præstent patri adoptanti excusationē, in cuius potestate non sunt: & in quo deficit (hodierno iure regio) nostrum tertium requisitū, de quo inferius deo dāte dicemus. n. 57. qđ tamē quia iure cōmuni nō requirebatur, vt iam supra diximus. n. 10. eo attēto. Alia & 2. eius decisionis erat ratio: nempe propter facilem filiorū adoptionē: fierent nanq; mille fraudes, & adoptionis cōmento eluderetur publicorū numerū impositio argu. l. *fidei comissum ibi. ne cōmēto adoptionis. ff. de cōdit. et dem. esset enim in potesta.*

te cuius libet fraudare legē, quod iure maximè reprobatur vt superius diximus. n. 24. Quā rationē scripserunt Ioānes faber, & Christophorus, quos reliqui oēs sequūtur in principio institut. de excusat. tutor. multis pbat Dec. conf. 399. n. 4. & est verissima in se.

51 Nec obstat^t si eā vanā putet Aldobrādin. in dicto principio. n. 24. quasi nō bene supputasset prudēs pater fam. qui tres filios adoptasset, ne publicis oneribus grauaretur. Supputauit enim & peius ipse Syluest. nō in calculo considerās potuisse patrē, quatuor habere filios legitimos: & vnū dūtaxat adoptare in fraudē legis. Prudens quippe reputaretur si fraus illa ei patrocineretur: atq; eius causā euitaret. Muneris publici multo magis onerosi obligationem.

Tertia describitur ratio p Ias. in additio. ad Porc. in dicto principio de excusat. tutor. quia sistorū parentū onus est volūtariū: vnde nil mirū si eidē nō prosint liberi volūtarie suscepti at verò legitimorū & insimul naturaliū onus, est necessariū: ad quod iurecō. magis respexerūt, ex ratione decidēdi iā superius scripta. n. 14. Cū seq. Nec istam tertiam rationem euertit longior, et futilis exquisitio Siluestri dicto. n. 24. in fine dicentis eam non esse veram, quia etiam legitimi

& naturales suscipiantur ex voluntate contracti matrimonij: quod contrahitur ad sobolem procreandam. l. 1. ff. Sol. matrim. Nam suamet ratione, ipse se iugulauit: Cū sobolis procreandę causa cōcedatur hoc priuilegium patribus immediate: at verò mediata uoluntas adoptionis non est onus, sed fraus in hac specie.

52 Minus etiam [†] proficient patri, naturales filij tantum: idque ne pater priuilegij cōmodū ex malitia, & peccato reportet, quę quidē iura non permittunt. c. intelleximus. cum uulgatis de iudic. quā rationem scripsit Porcius. n. 1. in principio institut. de excusat. tutor. In cuius fauorē cōducit resolutio Bar. Alex. et aliorū in. l. ex facto. §. Si quis rogatus. ff. ad trebel. quam sequitur. Dec. in. c. in præsentia. n. 45. & 46. de probatio: & latissimè comprobat Tiraquel. in. l. Si vnquā verbo suscepit liberos. n. 63. C. reuocād. donatio. vbi omnes, & pleriq; alij cōcludūt: q̄ in qualibet dispositione legali ex qua præsertim parentibus priuilegiā conceduntur ratione filiorum, non veniunt naturales: igitur in præsentia non compræhendētur. Prout (vltra tex. in. d. l. 2. §. remittit ibi *legitimos autem oportet esse omnes.* ff. de excusat. tutor.) in terminis resoluit Rip. n. 19. post. alios in. l. 1. ff. 50.

ff. Sol. matrim. cōcludentes priuilegium illius
l. i. vt repleatur liberis ciuitas non esse intelligē
dū de liberis naturalibus, spurijis, vel bastardis.

53 Alia & secunda[†] adijcitur eius rei ratio per
Syluest. Aldobrand. in dicto principio. n. 25. de
excusat. tutor, q. i. ideo naturales filij non pro-
ficiunt patri, quia pater hic nō cognoscitur vt
pater nec à iure ciuili talis iudicatur. l. 23. vul-
go concepti ff. de statu homin. Licet quādoq;
& certus sit talis pater vt ex. d. l. vulgo proba-
tur. Cum igitur à iure non nominetur pater,
merito iuris priuilegia patribus concessa non
retinebit. Ego verò aliam, & tertiã addo. (regio
iure attento) rationē: quia cum tales filij natu-
rales, non sint in potestate patris. §. Si aduersus
vers. itaq; institut. de nupt. in principio de pa-
tria potestate. Iuridicū non est vt patri tribuāt
excusationē quia deficit tertium requisitū de
quo inferius.

54 Nec prædictis oberit q; huiusmodi filij na-
turales attēta Ord.[†] regia lib. 4. tit. 71. in princ.
Si ex plebeis nati sint, cum alijs ex legitimo ma-
trimonio natis equa lance succedant: & quan-
doque etiam veniant appellatione filiorum,
vt late cumulat Tiraquel. in tit. de retractu li-
gnagier. §. 1. glos. 8. n. 4. & 5. Quibus rationibus

consequens videbatur, vt & patrem similiter naturalem deberent excusare ab his muneribus: Eo maxime, quòd ratio excusandi parentes à prædictis muneribus nitatur in educatione filiorum, & eorū alimonia: quæ omnia cum naturalia sint: omni æqualiter parenti debent esse cõmunia, argu. tex. notab. in. l. parentes vbi late scribentes. ff. de in ius vocando, facit tex. cum sua materia in. c. cum haberet de eo qui dux. in. matrim. quam Polu. per adulter. Nam responderi potest, primo quod cum Ord. illa iuris communis sit correctoria (vt colligitur ex adductis per doctissimum Didac. à Cou. riu. desponsalib. 2. parte. c. 8. §. 4. n. 9. & 11.) ad alios casus extēdi nō debet in quibus proximè iuris rationes, illeq; equissimæ, spātim corrigantur necesse est. Potest & secundo responderi Ord. illam, magis in odium, quam fauorem parentum tendere: atque ideo congruum non esse, vt ex illa priuilegium aliquod parēti nascatur argu. l. legata inutiliter de adimend. legat. Iuuat sententia Bal. relata. Ab Alex. in. l. ex facto. §. si quis rogatus o. 1. n. 28. ff. ad trebe. Quauis enim sepius naturales filij comprehendantur sub appellatione filiorum vt prædiximus: id erit vel ex voluntate testatoris, vel ratione re-

reueren-

uerentia naturalis vel alia de causa quæ tali patri delinquenti non aferat priuilegium, nec faueat. Quæ est vera, & notab. resolutio colecta ex scribentibus in dicto. §. Si quis rogatus ex Dec & alijs, in. c. in presentia de probatio.

Cum igitur ex prædictis de naturalibus & legitimis filijs, natis ex legitimo matrimonio
 55 intelligamus: Consequens est necessarium, vt & legitimati quoq; per subsequens matrimoniũ comprehendantur in presenti specie. Idq; ex regula tex. in. c. tanta cum sua materia qui fil. sint legitimi. Ego verò id necessario intelligerem, dummodo ante munus indictũ, & patri publicatum tale matrimonium cõtraxerit electus: nam si aliquis ex sua concubina, quinq; filios naturales habeat, & eidẽ publicetur munus receptoris, vel tutoris, immediate verò matrimonium cõtrahat cum illa: quãuis ijde filij efficiantur legitimi, in eiusq; potestatem transeant (quæ tria sunt requisita quæ desideramus) non tamen tunc temporis ex illis iuuabitur pater, quia legitimi non erant tempore muneris publicati: fauorabiliter tamen eos credere patri excusationẽ prestare, si post electionẽ, dũmodo ante publicationẽ, i ea specie matrimoniũ cũ tali cõtrahat: quia verũ est dicere tempore

quo munus publicatur, obtinere patrem Iuris hoc priuilegium ex fauore tex. in. d. c. tanta: & argu. eorum quæ late aducit Tiraq. de iur. primog. q. 34. n. 37. & ex. n. 52. atque ita isthæc resoluenda, & iudicanda existimo: quãuis nullus in specie (quæ viderim) eas mouerit quæstiões.

56 Maior tamen[†] insurgit dubitatio. An naturales legitimati rescripto principis, profint patri ad excusationem istam de qua agimus, id quod nullus in prædictis locis tetigit. Et se mora omni disputatione, (licet multa sint argumenta, quæ rem controuertere videantur, de quibus in simili per doctores statim citandos) resoluendum est eos prodesse: quoniam tales legitimati à principe, verè, & propriè dicuntur legitimi, vt notat Bar. in. l. Si is qui pro emptore. q. 3. in principio. ff. de vsu cap. resoluunt & alij per Dec. citati in conf. 399. n. 5. Immò. nil. differre à legitimis probat tex. notabilis in Auth. quib. mod. natur. effic. legit. §. Sit igitur ibi. *Nihil à legitimis differentes*, & c. collatione sexta, faciunt multa, quæ eleganter in simili adducunt Dec. conf. 366. ex. n. 2 per totum, latissime demore Tiraquel. in. l. si vnquã in verbo suscepit liberos ex. n. 52. & de retractat. lignagier. §. 1. glo. 8. n. 10. & rursum in tractat. primogeniorum. q. 34. ex. n. 41. cū seq.

seq. & quæ nouissimè Couasruui.in. 2.parte desponsal.cap.8.§.8.n.3.&.4. & infiniti alij Mori.s. quia cū ex voluntate principis. quæ altera est lex, isti naturales legitimati omnia iuris priuilegia retineāt: & hoc etiam includetur, quasi vere legitimi esset, & ex legitimo matrimonio iā nati: per quæ in hoc firmiter persisto, maximè cum contrariū iure expressum nō reperiā.

Tertium requisitum fuit scilicet.

QVOD SINT IN POTESTATE.

57 **S** Equitur vltimo loco videamus, quæ pertineāt ad hoc tertium requisitum: quod quidem summa cum ratione desiderat hodie: Ord.regia dicto lib.1.tit.67 §.31. (licet iuris cōmunis dispositio, contra habeat, vt superius diximus. n.10.) Quia verè tunc militat ratio decidendi de qua iam superius abundè egimus: labor scilicet educationis, & alimentorum: qui Iureconf.mouit, vt patres ob liberorum numerum à muneribus istis excusarent: Quibus si quidem cessantibus, ob amissam patriā. potestatem, nil mirum si cesset & hoc priuilegium à iure propter illud concessum: quod ex

E V. inferius.

inferius dicendis liquido fiet.

Ex quo requisito sic intellecto, quàm plura inferuntur: Et. i. colligitur q̄ adoptiui filij qua parte nō sunt in potestate adoptantis, (nisi cum auus maternus, eos accipit in adoptionem, iuxta nouam dispositionem. §. sed hodie institut. de adoptio.) non prestabunt eidem patri adoptanti exculationem: cum deficiat hoc nostrum tertium requisitum: tū respectu patriæ potestatis educationis, & alimētorū: tū & alijs, de causis relatis supra. n. 50. vbi latè diximus. Dubitaret tamē quispiam, an iste filius datus
 58 in adoptionem proficit patri + naturali cum alijs quatuor, quos habet, ad obtinendam immunitatē ab his publicis muneribus de quibus agimus. Et intrepide firmādum est proficere. Casus est in dicto principio toties alegato vers. Sed adoptiui institu. de excusat. tutor. *Sed adoptiui liberi non profunt. In adoptionē autem dati. naturali patri profunt:* inquit tex. ita necessario intelligendus vt post Theophil. & omnes probat ex alijs Syluest. Aldobrandinus ibidem. n. 26. & prius ita intellexit glo. in verbo legitimos in. l. 2. §. remittit. ff. de excusat. tutor. Quidquid glos. in verbo naturali, aliter & male (vt constat ex dicendis. n. sequenti) signet in fine illum

lum tex. Illud autem non sine ratione est, quia cum per adoptionem iura patris naturalis minime dissoluantur, iuxta nouam declarationē dicti. §. Sed hodie, in eo adhuc militat nostra educationis, & alimentorum ratio: vnde iustum est, vt istud priuilegium à iure concessum non amittat pater propter adoptionem filiorum.

59 Sed maior ex prædictis † oritur dubitatio dati ne in adoptionem auo materno, ei proficiant ad hanc iuris excusationem: Et prima inspectione videbatur dicendum prodesse: cum tales adoptati transeant in potestatem aui. §. Sed hodie institut. de adoptio. militetq; in eis hoc nostrū tertium requisitum declaratū vt supra. Quo argumēto glo. in verbo naturali in dicto principio ita punctando & intelligendo illū tex. eam sequitur sententiam: & prius in. d. l. 2. §. remittit verbo legitimos in fine asserit, & si datus sit in adoptionem auo, vel proauo, profit adoptanti. Sed quidquid ille glos. existimēt, totum contrarium sine dubitatione est asserendum: id quod las. in dicto principio insolubili, & claro conuincit argumento: quia si iure communi, nil ad rem faciebat esse

esse vel non esse in potestate: ex eodem principio de excusat. tutor. ibi. *Siue in potestate sint siue emancipati*, non est cur eodem iure dicatur, ex eo prodesse auo, vel proauo ab eis adoptatos quia in eorū transeant potestatem. Vnde ex las. argumento, & ex eo item q̄ deficit in eis nostrum secundum requisitum. s. quòd sint legitimi & naturales, firmadum est auo, vel proauo non prodesse tales adoptiuos: prout etiam in terminis hanc esse veram conclusionē expressit Syluest. Aldobrandin. in dicto principio. n. 24. atq; ideo nō insisto. Solūmodo addo istos adoptatos ab auo, cū verum sit in eius transferre potestatem: sine dubio nō posse quoq; proficere patri naturali, qui amisit patriam potestatem: & per consequēs deficiat hoc nostrum tertium requisitum. Idq; vt indubitatum non disputamus.

60 Secundo & principaliter⁺ colligitur ex eodem nostro tertio requisito, filium arrogatum qui sui iuris est, præstare patri arrogati excusationem: si talis arrogatus impleat à iure requisitum quinque liberorum numerum. Quoniã cum talis arrogatus transeat in potestatem arrogantis & in eius familiã dicto. §. Sed hodie: debet eidem præstare excusationem: qua ratione id

id in terminis firmat glos. in dicto verbo naturali in fine, quàm ibi sequitur loã. faber, & cum ea transeunt fere omnes magis cõmuniter.

At verò Ias. in aditio. ad Port. in dicto principio de excusat. tut. nouiter aduersus omniũ sententiam apertis rationibus ostēdit glo. opinionem iure iustineri non posse. Quinimo & falsam esse. Ex eo imprimis, nam si ex glo. sententia, & communi, adoptatos ab auo, vel proquo: vel arrogatos ab extraneis, ideo arrogatoribus præstare excusationem conceditur, quia tales transeunt in eorum potestatem: Consequēs est, q̄ cū olim iure digestorũ attento nulla quoad hoc esset differentia, inter arrogatos, & adoptatos: cū omnes indistincte transirent in potestate. l. 1. ff. de adoptio. in principio instituit. eodem titu: vt omnes etiam indistincte excusarent patres adoptātes: quòd tamen firmare erroneum est, & contra text. apertum in. l. 2. vers. adoptiui. ff. de vaca. mune. Præterea & pro Ias. facit contra cõmunem: Nam iure cõmuni inspecto, ad vacationem munerum non requirebatur quòd filij in potestate existerēt, vt iam supra latius, & non semel ostendimus, igitur esse, vel non esse in potestate nil ad rem faciebat. Rursus & tertio pro Ias. accedat cõmunis.

munis illa resolutio (cuius superius mentionē fecimus) asserens, ideo ciuiles tantum filios parētibus non prodesse, ne facili remedio, adoptionis, legū prouisio eluderetur: quæ cōmunis ratio sine dubio, & à fortiori, in arrogatis procedit: in quibus facilior patet aditus huiusmodi fraudibus: arrogamus enim eos qui sui iuris sunt, & quorum solus consensus sufficit, nulla patris naturalis requisita auctoritate: igitur ex his euidentissimis rationibus à cōmuni, cū las. dissentio: firmiter credēs, arrogatos etiā ab auo, vel proauo iuxta despositionē dicti. §. Sed hodie patri arroganti excusationē nō prestare, vt pote deficiente secūdo requisito. quòd & verissimū vltra las. firmavit diligentissimus Aldobrandinus in dicto principio. n. 24.

61 Quòd si quis dubitet, an tales in arrogationē dati profint patri naturali, huic dubitationi (vt omnis in hac materia tollatur) breuiter respondēdo, quòd si ad cōmunē proxime relatā ex glo. in dicto verbo naturali aduertamus: audacter firmandū esset non prodesse: quia cum iā profint patri arroganti nō possunt duobus tribuere excusationē. At verò si cum las. verā opinionē sequamur sine dubio dicendū erit (iure cōmuni attēto) tales filios arrogatos naturali patri

patri prodesse: eo etenim inspecto non desiderabatur patria potestas, ad horum munerum excusationem ut praediximus, sed cum hodie ab Ord. Regia requiratur, quod filij qui patres excusare debent, in eorum sint potestate: deficiatque hoc nostrum tertium requisitum: arrogati isti sine dubio patri naturali non proficiunt, cum sui iuris sint. Licet in adoptiuis contrarium ex eadem nostri requisiti ratione supra resolutum extiterit.

- 62 Tercio & principaliter⁺ ex eodem nostro requisito inferitur, emancipatos liberos non prodesse patri ad hanc munerum excusationem: idque intelligo siue omnes emancipati sint, siue vnus ex quinque, dumtaxat quos pater habeat. In illis etenim cessat nostrum hoc tertium requisitum. adiuncto priori: clarum est enim emancipatos a patria potestate solutos esse: §. praeterea inst. quibus mod. ius. patr. pot. solu. Qua ratione communi stilo emancipatos non excusare firmat in terminis Petr. ant. boli in tract. de mun. & hon. 3. parte princip. n. 14. Quauis (ut praediximus) iure communi inspecto emancipati quoque ad excusationem prodesset.
- 63 Quarto principaliter⁺ ex praedictis colligo quod licet olim vxorati filij per matrimonium non liberarentur a patria potestate ut probat. tex. in l. si vxor. C. de cond. inser. l. i. C. Bon. que liber. cum alijs.

80 TRACTATUS. DE EXC. PAREN.
alijs citatis ab Aldobrād. i. §. Ius aut. n. 15. in st. de
patr. potesta. & axuario in legibus regni, fo. 74.
vers. vlt. pro euidencia. Cum tamen hodie
lege regia per contractum matrimonij filij pa-
rentum potestatem exeant: emancipatiq; cen-
seantur, Ex Ordi lib. 1. tit. 67. §. 4. & §. 65. & lib.
4. tit. 78 §. 2. Quibus similes extāt in regno Frā-
ciæ teste Boer. decis. 197. n. 1. & 3. primæ partis,
& in regno Castellæ vt refert palac. in Rubr. §.
43. n. 2. & Anton. guomez. hispan. l. 48. tauri, &
eadē Ord. vt supra diximus requirat quod filij
sint in potestate: Consequēs est, vt nō gaudeāt
parentes propter eos hac immunitate, de qua
agimus: quia deficit hoc tertiū requisitū. Idq;
verū crediderim etiā si filius hic minor. 25. ānis
matrimonium contrahat. Licet quandoque si
minor. 20. annorum vxorē ducat hoc sibi pro-
desse possit, si deceptus in alio contractu, in in-
tegrum velit restitui. Ex Ordin. lib. 3. tit. 87. §. 4.
incip. empero.

64 Rursus † idem placet & secundo intelligere
inquolibet ex filijs qui verē matrimonium de
præsenti contraxit: vt verba prædictæ Ordi. so-
nant ibi, *casado*. Quæ cum iuris communis (vt
prædiximus) sit correctoria extendi non de-
bet ad filios per verba de futuro despōlatos iux-
ta

ta notata in Authē. si quas actiōes. C. de sacros. eccles. cum late adductis per Tiraquel. de. l. l. cōnubi alib. fo. 163. hij etenim adhuc sunt in potestate, patremq; sine dubio excusabunt à publicis muneribus.

65 Tertio velim, & idem † intelligas licet filius matrimonium inuito patre contraxerit. Nam non ideo minus liberari desinit à patris potestate, vt sonant verba eiusdem Ordi. generalia nimis: & in specie ita firmat Anton. gomez. vbi proxime, licet ibidem dubitet Cifuētes. Et per consequens filius ille patrem in his delatis muneribus non excusabit.

66 Elegans tamen † circa hoc, anno elapso accidit in praxi facti quæstio: quã audire molestum non sit, cum quid in ea iudicatum fuerit, à nobis sit recensendum. Quidam cū quinq; haberet filios, inter eos filia erat, quam cū per verba de præsentis desponsasset pater, eidē munus receptoris statim fuit indictum, eo tamen tempore quo filiã adhuc domi retinebat, nondum enim eam viro suo tradiderat: Pater reclamās à munere grauamen coram officialibus camerę (quibus huiusmodi electiones incumbunt, vt supra diximus) proposuit. In quo allegabat, se privilegio numeri quinq; filiorum

F quos

quos habebat, gaudere: atq; ideo exultationē
 mœreri. Et in eorum filiorum calculo numera-
 batur filia illa vxorata, & ad huc domi retēta.
 Delato huiusmodi grauamine ad summū rei
 phiscalis prætorium (vt moris est) diffinierūt
 grauissimi senatores excusandum fore patrem
 ab imposito munere: filiāq; eo pacto desponsa-
 tam patri prodesse. Moti fuerūt ex eo, quia cū
 probaretur patrem, adhuc domi retinere filiā
 illam, suisque sumptibus eam simul cum vi-
 ro suo alere: videbatur æquum vt huiusmodi
 filia in potestate censeretur ad patrem excusan-
 dum. Sicq; iudicatum accepimus. 6. idus Mar-
 tij anno Domini. 1557. Sed res hæc ita iudica-
 ta nimio abundat fauore. Quoniam iuris regu-
 lis inspectis, ratio illa educationis & alimēto-
 rum in hac materia cessat, & quadrare nō po-
 test, nisi ijs qui sub potestate parētum fuerint:
 vt latius supra diximus. Igitur cum constet fi-
 liam illam per matrimonium à patria potesta-
 re & gubernatione liberatā esse: censi non
 potuit in potestate ad excusationem patris.

67 Nec iuridica est illorū consideratio, quòd
 huiusmodi filia ex eo quòd adhuc in domo
 paterna retineretur, in potestate eiusdem iudi-
 cāda esset (vt & aliàs existimabat hispanus Se-
 gura

gura in repet. l. vnum ex familia. §. sed si fundū col 7. ff. de legat. 2. & Montanus in. l. fin. titu. 11. lib. 1. in legibus styli) decepti proculdubio argumento tex. in. l. nepotes. ff. de his qui sunt sui vel alieni Iur. ibi vel in familia. Non aduer- tentes verbum (familia) de quo ibi patriā po- testatem significare prout sentit glo. ibi: Et in eadem acceptione assumere Iureconf. in. l. co- heredi. §. cū filia. ff. de vulg. glo. 1. in. l. 1. ff. de cō- iung. cū emancip. liber. Nec rursus considera- runt q̄ sola cōmunis habitatio filiorum cum parentibus non efficit vt censeantur in paren- tum potestate: Vt perlocum ab speciali colli- gitur ex relatis à Guil. in. c. Rainuntius verbo matrem. n. 25. & expresse ab Ordin. lib. 2. tit. 37. §. fin. & tit. 47. §. pen. ibi, *Ou em casa de seu pay*, vti nec tola distincta habitatio patris & filij suffi- cit, vt filius extra eius potestatem censeatur: vt clare probatur ex. l. si lōgius. §. si filius fam. ff. de iudit. & ex alijs quę aducit isignis Arius pinel. in. l. 1. part. 1. n. 34. C. de bon. matern. Præte- rea iuuari non potuerunt prædicti patres ad
68 id iudicandū ex vulgari illo dicterio[†] quod in scholis frequēter agitur, vxoratū filiū quoad sibi vtilia tantū centeri ad huc in potestate esse: mirū igitur nō sit, si & cum patri suo vtile fue-

rit, in eiusdem potestate iudicetur: idq; mille Dd. decisionibus parū sane ad rem faciētibus, de quibus per Ias. in. l. patre furioso. ff. de his qui sunt sui vel alien. Iur. p. Didac. à Cou. ruu. in. c. quia nos. n. 5. de testam. per Anto. gomez. de vltim. volunt. c. 9. n. 13. & nouissime per Tiraquel. in tractat. le. mort. 7. parte declarat. i. n. 2. & 3. Quæ quidem omnia in se vera sunt quia lex vltterius processit ita disponendo: At verò vbi à lege ita expresse cautum non reperitur (vt in nostro casu) non poterit quis emancipari ad vnum actum tātum: prout receptius esse contra plures resoluit Ias. in vtraq; lectura. n. 14. & 22. cū seq. in. l. 1. §. hoc autē & ibi Rip. in. §. in filij. n. 8. ad treb. & post alios verius & cōmunius testatur casan. in cōsuet. Burg. fo. mihi 213. n. 8. Omniq; penitus dubitatione cāret attentata. l. 47. tauri ibi, *em todas las cosas*, vbi Anto. gomes. ita explicat: *attenta etiam Ord. regia lib. 3. tit. 87. §. 3. incip. E auemos por bem, si bene ponderetur.* Igitur iuris rigore attento constat non potuisse eam filiam iam vxorata, patrem excusare à delatis his muneribus.

69 Quinto principaliter infertur[†] q; quamuis mulier vxorata, nondum tamen. 20. atatis annum attingens possit restitui ex Ordin. regia lib. 3.

lib.3.tit.87.§.4.incip. Empero. viduaq; effecta in eadem ætate ad patris domum redeat, & ab eo alimenta recipiat: non tamen eundem patrem à munere aliquo indicto excusabit, quia deficit hoc nostrum tertium requisitum: cum constet filiam illam ab eius potestate liberatâ fore per matrimonium vt supra diximus. Nec dissoluto matrimonio iuste filia, in patris potestatem redeat. l. qui liberatus. ff. de adoptio. cū late traditis à Tiraq. de iur. Maritali fo. 185. & in tractat. cessante causa limit. 15. n. 6. Atq; ideo plus debito fauore diffinierunt etiam prædicti senatores grauissimi huiusmodi filiam ad excusatione patris prodesse cū alijs quatuor.

70 Sexto infertur q̄ si filius artem aliquam, vel officium habeat, vnde congrue ali possit: quantum uis^t in potestate parentis sit, patrem (meo iudicio) non excusabit à publicis his muneribus: cuius rei ratio ex superioribus constat. Quoniam cum illis casibus pater nō teneatur filios alere, vt probat tex. in. l. si quis à liberis in fine principij. ff. de liber. agnosc. & ibidem firmat Bar. tradit Socin. cons. 121. vel. 4. Pala. in c. §. 70. n. 7. & per consequens cesset educationis ratio & alimentorum, quæ potissime consideratur in huiusmodi excusationibus: Con-

sequitur, ut numero illorum liberorum iuvari non possit pater, ad obtinendam à munere in dicto excusationem.

71 Ex quibus illud descendit primo[†] quòd licet filij in potestate parentum constituti alteri seruiant, qui illis non solum alimenta præstet, sed & eos educet, bonisq; moribus instruat, proderunt tamen ad huiusmodi parentum excusationem: si alia requisita non deficient. Nam cù alimentandi filios, parentum officium sit necessarium ex toto titulo. ff. de liber agnos. extraneus autè cui hic filius seruit, possit, si velit, ab alimentis deficere: cù voluntaria sit eorù præstatio: possitq; filius illo casu patrè suũ cogere ad alimentum: iustũ est ut filius hic profit ad excusandum patrem suũ, ut & in praxi obseruari vidi.

72 Secundo descendit[†] quòd si filius clericus beneficium aliquod habeat, artè ve aliam exercent, unde constet ipsum ali posse. Licet idem filius per clericalè ordinem à parentum potestate nõ exeat ut probat clare tex. in auth. præbiteros. C. episcop. & cler. tradit late doctissimus Couasru. in. c. quia nos. n. 5. de testam. Non tamè patri excusationè præstabit ab his muneribus: cum manifeste hoc casu cesset præcipua illa ratio educationis & alimentorum.

Septimo

73 Septimo ex hoc tertio requisito inferitur, ⁺ si
 hū effectū monachū patri suo prima inspectio
 ne non prodesse: Cū in eo deficiat tertium hoc
 requisitum. Est enim receptissimū per ingres-
 sum religionis patriam potestātē solui dūmo-
 do sequatur professio ex sentētia glo.in.l.si ex
 causa.§.Papinianus.ff.de minor. receptæ secū-
 dum Ias.in.l.2.n.22.ff.de vulg.& alios quos
 refert nouissime clarissimus hispanus Ioann.
 Oroscius in.l.patre furioso.n.5.de.ff.his qui sūt
 sui vel alien.Iur.& latius insignis Pinel.In.l.1.
 prima part.n.46.C.de bon.matern.& quōd
 magis est taliter religionē ingressi mortui mū-
 do reputātur vt pbat tex.in.l.deo no bis Verfi-
 culo nā & maritis in fi.C.de episcop.& cle.bo-
 nus tex.in.c.placuit o.2.16.q.1.tradit late Mar-
 cus mātua libr.2.locorū cōmu.loco.24.tātū ab
 est vt secularibus his negotijs pdesse possit.Sed
 quāuis ex hoc capite non admittātur isti ad pa-
 trē releuādū: ex alio tamē recipiūtur.Nā si mor-
 tui filij Inacie regis vel principis secularis,ad hu-
 iusmodi parētū excusationē admittūtur vt sup.
 diximus.Quāto magis pdesse debēt in Christi
 bello mortui,qui p gloriā tāto maiori cū ratio-
 ne viuere dicuntur (iuxta.l.27.C.de episcop.&
 cle.)quāto anima corpore est prestātiore.solite

vers quòd autem de maior. & obed. & quanto
 spiritualia temporalibus præstant. c. per vene-
 rabilem qui filij sint legitimi. Quibus rationi-
 bus eos monachos prodesse patribus vt certū
 scribit. Ias. ad Port. in princip. inst. de excus. tu-
 tor. col. 3. vbi Nicasius etiam opposi. 4. & pla-
 tea. n. 6. cum hoc transeunt: sequitur & Rebuf.
 in. l. 2. n. 1. C. de his qui num. liber lib. 11. con-
 sentit Petrus Antiboli in tract. de muner. & ho-
 nor 3. par. princip. n. 14. firmat & post alios egre-
 gius doctor & inter Iurecōsultos primus Ema-
 nuel à costa in sublimi illa patruī & nepotis
 in materia maioratus quæst. pag. 67. Secundū
 quæ (si hoc in facti quæstione acciderit), iudicā-
 dum arbitror: suggerente potissimum solito
 religionis fauore.

Libuit & illud ad calcem huius tertij requi-
 74 siti adijcere: quod filij[†] qui apud afros, indos-
 ué, aut alias exteras nationes sunt, quosq; pa-
 ter ignorat an viuant nec ne. Excusabunt ni-
 hilominus parentes suos ab his muneribus, do-
 nec cōstet vel filios mortuos, vel artem aliquā
 habere ex qua alantur. Cuius rei ratio est, quia
 si filij legitimi & naturales sint, & numero
 quinq; licet de eorū vita pater dubitet, nō desi-
 nunt tamen. In potestate parentum esse vt col-
 ligitur

ligitur ex l. vxorem. ff. de manum. testam. tradit insignis Pinel. vbi supra. n. 35. cū igitur tria hæc requisita in eis cōcurrāt, dubitandū nō est quin filij huiusmodi patribus suis excusationem præstent. Tractatis igitur his omnibus quæ ad hæc tria requisita pertinere visa sunt.

75. Illud necessario à neccitur, Ad eo. 5. huic liberorum numero à iure indulgeri quoad hanc munerum excusationem: vt si probetur vrbiū vel locorum præfectos, aliosue officiales, quibus id incumbit, recte nouisse qualiter titius quinq; habeat filios (vti nos eos requirimus) hocq; non obstante eūdem eligant ad munus aliquod, erunt sine dubio isti tanquam temerarij electores, legisq; normam excedentes, in expensis condemnandi. Casus est in materia in l. vnica. C. de sump. recup. lib. 10. ibi. *Sumptus quos in litē feceris, recuperabis*, Bonus tex. in l. 2. C. de decurion. lib. 10. Melior tex. in l. 1. ff. de vac. mun. in fine ibi, *sumptus litis præstare iubeatur ei, quem sine causa inquietauit*. Quorum iurium aūthoritate id ita in praxi iudicatum vidi. 15. calendis martij anno Domini. 1558. quo tempore, In omnibus expensis damnati fuerunt cameræ officiales oppidi Daloufam, eo quòd vnum ex plebe qui prædictos quinq; filios habebat,

bebat, ad receptoris munus scienter elegerūt.

- 76 Ex quibus iuribus[†] in d. l. vnica, & in d. l. i. ibi, *appellatione interposita*, Credo ortū fuisse Regium mandatum, quo cauetur non licere officialibus, & electoribus cameræ, postquam aliquem eligunt, eidem indicti muneris excusationem præstare: Idq; etiam si electus iustā eis offerat causam. Imo verò appellatione interposita, vel grauamine (quòd frequētius est) ad supremos rei fiscalis senatores causa deferēda est: Qui causa cognita excusabunt tales patres si probauerint se habere quinq; filios, vel similit̄ aliam causam legitimam. Illud autem grauamen[†] proponendum est intra terminum à iure constitutum nempe intra decem dies à die publicationis ex Ordi. regia lib. 3. tit. 59. §. fin. & clarius tit. 77. §. 1. aliàs amplius non audientur grauati: quantumcunq; legitima muniantur causa ex dicto. §. fi. Iuri communi conformi, vt constat ex verbis tex. in l. hi qui. C. de appella.
- 77 *Hi qui ad ciuilia munera, vel decurionatum, vel honores deuocantur, licet vacationem à principibus acceperint, si appellationis auxilio nō vtātur consensu suo nominationem confirmāt*, inquit imperator. ex tex. in l. ab eo ibi vbi *primum cognouistis non illico querelā deculistis* &c. C. quomodo & quādo iudex: vbi

vbi glo. & omnes notarunt, & in. l. pe. §. si postquam per tex. ibi. ff. de vacat. muner. late Pan. conf. 47. n. 4. vol. 1. Sed latius fel. in. c. quoad cōsultationē ex. n. 22. & . 25. cū seq. de sēt. & re iudi.

78 Rursus necesse est vt & intra tempus à iure constitutum prosequatur electus grauamen; ad quòd olim dabatur terminus quinquaginta dierū, vt in. §. qui autem excusare ibi. *Sed intra quinquaginta dies cōtinuos ex quo cognouerūt & c.* institut. de excusat. tuto. vbi cæteris melius declarat Syluester Aldobrā. ex. n. 8. Hodie verò ex Ord. lib. 3. tit. 59. §. si. triginta dierū datur spatium ad prosequendū & presentandū à die propositi grauaminis quod ante omnia p iudices inspiciendum est, vt in cōmuni est obseruātia; nisi forsan tabelio fidem suam interponat per grauatum non stetisse vt expressit Ord. dicto. §. si. vel si (vt ego arbitror) electus egritudine notoria, vel alia legitima de causa impediretur, idq; iure cōmuni inspecto ex sentētia Bal. in. l. si. C. de cond. in ser. eiusdē Bal. Roman. & aliorum quos refert & sequitur Alex. in additio. ad Bar. in. l. si procuratorem. §. si ignorātes in verb. paupertate. ff. mandati.

Laus Deo.

ERRATA.

Pagina.	Linea.	Lege.
10.	.2	præstabant.
10.	8.	n.57.
11.	19.	Cū pro eo.
18.	17.	filijs.
20.		pag.20.
29.	10.	officium
30.	Pe.	vbi testatur hoc.
33.	18.	loquitur.
48.	3.	non aliàs:
48.	21.	regia illi.